

*3, b. 509
1763, 3
A1*

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE SERVITVTIBVS IN GENERE
ET SPECIATIM
DE SERVITVTE
AEDIFICIORVM LEGALI
IVRIS LVBECENSIS

QVAM
IN INCLVTA ACADEMIA IULIA CAROLINA
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS
AD DIEM XXVI. AVG. MDCCCLXIII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
IN IVLEO MAIORI
PVBLICE DEFENDET
AVGVSTVS IOHANNES OTTO MENSCHING
LVBECENSIS
HELMSTADII
EXCVDEBAT MICHAEL GÜNTHER LEVCKART.



Diss. Tur. Germ.

508-538.

Mensching - Mybig

113.

509.-599.

L. 24

Band XIV.

EXCELLENTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
DOMINO
IOHANNI FRIDERICO
SCHAEVIO

DOCTORI ICTO PRAESTANTISSIMO
INCLVTAE REIPUBLICAE LVBECENSIS
SENATORI MERITISSIMO ET
H. T. PRAETORI

PATRONO ATQUE COGNATO
PARENTIS LOCO
OMNI PIETATE AETATEM COLENDO
FELICITATEM

EXCEPTE INTITULATA IN AVARIA
DOMINO
I OHANNI FRIEDERICO
SCHEVIO

DOCTORI ICO TRANSVALENSIMO
INCALVÆ REPARATRICÆ LAEVICENSIS
ET ENTOLOI MELITENSIS ET
H. T. BRAETORI

PATRONO ATOL COSENATO
PARINTIA LOC
OMNI HESTATE AETATUM COTTENDO
RECITATIONI

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE
AMPLISSIME
COGNATE PARENTIS LOCO
PIE VENERANDE!



atere, VIR EXCELLEN-
TISSIME ATQVE
AMPLISSIME, ut differ-
tationem meam inaugura-
lem, quam pro summis in utroque iure hono-
ribus more maiorum rite et legitime conse-
quendis exaraui, PEREXIMIO NOMI-
NI TVO obsequentissime consecrem. Id

* 3

enim

enim ut faciam, non consuetudo, sed potius
pietas, qua me TIBI obstrictissimum profi-
teor, iure meritoque a me postulat. Et pro-
fecto si merita TVA erga me plane paterna
recordor, ea commoueor pietate, quae maior
in ipsum patrem esse nequeat. Me enim iam
ab infantia optimis parentibus orbatum in tu-
telam benignissime suscepisti, et affectum mi-
hi paternae indulgentiae plane parem conser-
uasti. Atque adeo, siue beneficiorum multi-
tudinem, siue curam qua salutem meam ser-
uabas, siue amorem quo uitia iuuentuti pro-
pria corrigebas, TVAMque plane singula-
rem tutoris fidem, considero, uerba sane de-
ficiunt, COGNATE OPTIME, qui-
bus omnia ea repetere, TIBIque gratissimum
animum meum satis testari possim. Quum
uero rerum mearum ratio iam postulet, ut
ab Academia discedam, prius ad TE, qui mi-
hi Patris loco es, redire non possum, quam
TIBI rationes peractae uitae academicae red-
dide-

diderim. Id uero pro religione filialis obsequii
me facere posse ratus sum, si hanc dissertationem
TVO iudicio deuote submitterem. Accipe igitur
serena fronte, **VIR EXCELLENTIS-**
SIME ATQVE AMPLISSIME, primi-
tias has meas Academicas, nec crede, me hoc
pacto officiorum meorum erga TE partem
exsoluere uelle, (id enim fieri nunquam
poterit) sed potius id modo me studere puta,
ut publicum, quod diu iam meditatus sum,
pietatis erga TE meae extare faciam monu-
mentum. Quoniam uero nihil magis cupio,
quam a TE amari, TVOque praesidio pro-
tegi, ita quoque TE, PARENTS post Pa-
rentem mihi a Deo date, quam obsequentissi-
me rogo atque obtestor, ut et in posterum
me patrocinio TVO atque fauore, cui me
per omnem uitam meam concredo, commit-
to et trado, exornes. Faxit DEVST.O.M.
ut una cum dilectissima Coniuge, Matertera
mea suauissima, fortunatus felixque uiuas quam
diutif-

diutissime, sique INCL VTA RES PV-
BLICA LVBECE N SIS, patria nostra
dulcissima, TE per longam annorum seriem
inter ILL OS colat, qui regimen ciuitatis
prudentissime administrant. Propulset abs
TE Summum Numen omnia ea, quae laede-
re fortunam TV A M possint, efficiatque, ut
quouis prosperitatis genere constantissime
perfruaris. Ego uero VIR EXCELLENTI-
TISSIME ATQVE AMPLIASSIME,
qui TIBI, post Deum, omnem meam feli-
citatem debeo, uicissim iustum uenerationem,
gratum animum, et pietatem, quoad hos ar-
tus spiritus reget, sancte promitto

AMPLIASSIMO PATERNOQVE
NOMINI TVO

AVG. IOHANN. OTTO MENSCHING.



DE
SERVITVTIBVS IN GENERE
ET SPECIATIM
DE
SERVITVTE AEDIFICIORVM LEGALI
IVRIS LVBECENSIS.

§. I.
INSTITVTI RATIO.



uum iam in consuetudinem abierit, ut qui
nostra aetate studio iuris animum adiun-
gunt loco quinquennii ab Imp. IVSTI-
NIANO (a) praescripti triennium aut
quadriennium sibi solemne habeant: eo-
dem fere spatio et egomet inclusus, eandem consuetudinem
ut imiter non paucis moueor rationibus. Adpropinquan-
te autem die, quo sarcinulis collectis ex hac bonarum littera-

A

rum

(a) Consulas praeter alios Ill. AYRERI orat. de gradu Doctoris iuri-
ris ad quinque Stud. iur. non amplius adstricto. Inserta est
illius op. pag. 268.



rum officina in patriam me redire necessariorum meorum auctoritas iubet, tempus hucusque priuatis exercitationibus consumendum putaui, nihilque habui prius, quam ut iis me formarem literis, quibus praeparatus publice experiri possem, quid humeri ualeant. Cuius rei periculum quam optime me facturum opinor dissertatione inaugurali pro summis in utroque iure honoribus consequendis ad disceptandum iam propoundeda. Ad thema ipsum quod attinet, non possum dicere, quantum operis laborisque fuerit in eo eligendo. Etenim quum amplissime pateat iuris ciuilis dispositio, quippe quae ambitu suo non priuata magis, quam publica, non ecclesiastica minus, quam secularia complectitur: fieri non potest, quin illius, qui particulam quandam sibi inde elaborandam proponat, animus ob tantam rerum multitudinem in eligendo distrahat. Ne autem fluctuando nihil ageretur, simulque negligerentur iura patria, quorum laudem institiamque praeter alios extulisse scimus **IVL CAESAREM SCALIGERVM** nitido hocce Epigrammate: (b)

Si referam, mihi quis credit sub limine mundi

Vltima legiferi iura uigere Dei;

Ingenium, candorem animi, cultumque, fidemque,

Fortiaque iniucta peccora pura manu,

Dum mirata stupet, terras, Astraea, relinquens,

Atque putat coeli regna, resedit ibi.

*In argumento de seruitutibus in genere et speciatim de seruitute
aedificiorum legali secundum principia Iuris Lubecensis tan-
dem constitui elaborare. Mihi uero subinde in memoriam reuo-
canti*

(b) Vid. MEIBOM. *Introduc. ad historiam saxon. inferior.* p. 8r.
seq. et IOH. WERLHOFII *Iuris encl. spec. secund.* §. XI.
not. f. p. 203.

canti monita PAVLI (c) et CELSI (d) ea scilicet, quae frequenter, non uero quae perraro eueniunt, parumque conducunt, aliquanto plenius attingenda esse: arrisit haecce materia, cuius enodatio ulteriori cura dilucidanda eo utilior mihi est uisa, quo certius est, non paucas ea propter in foro patriolites agitari. Pendebam quidem animi, et conscius mediocritatis meae fere a proposito deterrebar, quod materiam uiribus meis longe superiorem conspiciebam; at quum in arduis periclitari libertate academica cuiuis integrum sit; ueniam mihi a beneuolo lectori, sicubi in tam nobili tamque perplexo themate lapsus fuero, certo polliceor.

§. II.

DE INDOLE ET NATVRA SERVITVTVM.

Bene recteque rebus suis confulere uidentur, qui quum ad scribendum mentem adiungunt, inutilia non tangunt, maxime uero necessaria principia praemittunt, quibus deinceps dicenda, quasi iacto nouae domus fundamento, superstruantur, quam methodum non contemnendam nec egomet deseram. Fallor uero, aut, si rem ex rectae rationis principiis uelis affirmare, cum MODESTINO (a) est affirmandum, seruitutes inter ei iura locum occupare, quae constituit necessitas. Si enim iuris illius sempiterni, quod ipsa ratio constituit inter omnes, perpetuo memores essent homines, nec refrigescere incepisset inter mortales amor, quem homini erga hominem ipsa natura ingenerauit; non est dubium, quin nulla indigeremus seruitute,

A 2

et

(c) l. 25. D. de lib. leg.

(d) l. 5. de leg.

(a) l. 40. de legg.



et sicuti amicorum, ita omnium hominum ueram uirtutem
sectantium omnia communia essent, nec denegaret in suo
quisquam alteri, quod sine suo damno praestare posset, nec
ideo illico suum fundum seruire crederet, per quem uicinus
ire, ambulare, aut in quo aquam haurire cupiat. At
ab ea statim temporis periodo, qua in ueritatem prouerbium
abiit, laudatur uirtus et alget, non licuit unicuique in alterius
humanitate collocare fiduciam. Hinc paucis interue-
nientibus iam hic, iam alter id fibi stipulari coactus est, quod
fibi ab aliis et in rebus alienis praestare uellet. En ergo na-
tales seruitutem, quarum indoles uix, nisi perspecta prius
praediorum libertate, poterit cognosci. Ea autem, meo qui-
dem iudicio, optime describitur ex natura dominii, ui cuius
nempe praedii dominus in suo praedio, sine metuenda cuius-
quam intercessione, quaevis in suis rebus agere, alias ab
earum usu excludere, et omnia ad utilitates suas conuertere
potest. Quare libertas si in alterius fauorem restringitur;
tunc seruitutem oriri, tralatitium est. Est enim seruitus re-
strictio libertatis naturalis, domino rerum suarum alias com-
petentis, in fauorem alterius, siue illa restrictio inuoluat pa-
tiendum quid, siue non faciendum, siue faciendum; uel si
magis tibi arridet definitio in ICtorum scholis alias proponi
solita, est ius in re aliena nobis constitutum, ui cuius illius
dominus aliquid in ea uel pati uel non facere tenetur. (b)
A uero non aberare uideor, si in eo omnes seruitutes reales
conuenire contendam, quod seruitus ne fingi quidem possit,
si unum modo adlit praedium. Quippe duo semper de-
siderantur, quorum alterum cuius libertas restringitur,

seu

(b) I. 15. ff. de seruitutibus.

seu quod seruitutem debet, *seruientis* (c) nomine uenit, alterum uero, in cuius fauorem libertas restringitur, seu cui debetur seruitus, *dominans* audit, a quo seruitutes ut plurimum denominari solent. Quum uero is, qui praedium seruiens tenet, ui seruitutis constituae obstrictus teneatur, ut aliquid uel patiatur, uel non faciat; rationem perspicies, ob quam seruitutes, si praedium seruiens intuearis, pertineant ad obligations, contra uero in iurium classem referri possint, si praedium dominans spectes. Inde etiam prono alueo fluere uidetur, seruitutes non minus esse iura realia, quam easdem restringere libertatem naturalem, tam quoad proprietatem, puta ius disponendi, quam quoad usum s. ius utendi.

§. III.

DE OBJECTO SERVITUTVM.

Rem alienam opponi, sciunt omnes, rei propriae. Quum uero una eademque res propria et aliena eodem respectu esse nequeat: inde perspicies rationem, ob quam, etiam secundum iuris Romani principia, sit statuendum, non dari seruitutem in re propria. (a) At multa formidine fecus sentientes instare, et in suas partes uocare video P A V L U M et V L P I A N U M, quorum ille *usufunfructum non dominii partem, sed seruitutis esse* grauiter pronunciat; (b) hic uero *uti frui ius fibi esse, dominum intendere posse* negat. (c) Qui scrupulus, ne

A 3 tor-

- (c) Immo et aedium seruarum ac praediorum seruorum meminereunt et CICERO de leg. agr. cap. II. et alii veteres Juris. Auctores vid. I. 6. §. 3. D. Commun. P. V. et R. I. 8. D. de act. emt. I. 20. §. I. de acquirend. Rer. dominio.
(a) I. 26. D. de S. P. V. (b) I. 25. D. de V. S.
(c) I. 5. D. si usufunfructus petatur.

torqueat progredientes, iam eximendus erit. Scio quidem, quod, quum idem ille P A V L V S (d) usumfructum in multis casibus dominii partem adfirmauerit, interpres bene multi hic non de usufructu nudo, qui seruitus est, sed de eo, qui proprietati cohaeret, P A V L V M dixisse putent, illumque proin formalem, hunc uero causalem appellent. (e) At quo certius est, P A V L V M de nudo usufructu loquutum esse, eo minus dubio caret, tantum abesse, ut fallacia oppositorum distinctione hac, a Doctoribus adhiberi solita, tolli possit, ut potius dicendum esse uideatur, usumfructum etiam nudum in multis casibus esse partem dominii. (f) Caeterum uero in seruitutibus, quae personae dominanti debentur, seruitutis obiectum constituant res mobiles non minus, quam immobiles (g) corporales et incorporales, quum e contrario immobiles tantum obiectum esse uideantur in iis seruitutibus, quae praedio dominanti debentur. Ne me nimium H E I N E C C I I asseclam esse dicas; putarem, de his ipsis seruitutibus intelligendam modo esse iuris antiqui regulam, seruitutes nempe habere debere causam perpetuam, i. e. seruitutes praediales ea qualitate et causa esse debere instructas, ut praedi dominantis possessor eam utilitatem, cuius causa constituta est, tamdiu ex ea capiat, quamdiu durant praedia. (h) Licet uero negari

(d) I. 4. D. de Usufructu.

(e) Huiusque distinctionis inventorem et ipsum P A V L V M fuisse in I. 126. §. 1. D. de V. O. perhibent, quos tamen merito refellit S T R Y K I V S in usu moderno pand. Tit. de Usufruct. §. 1.

(f) Ut UPIANVS et GAIUS luculentis exemplis commonstrant. vid. I. 5. et 6 D. de Usufruct. conf. B. 10 H. W A H L I I Melet. de Servitut. p. 7.

(g) I. 3. §. 1. I. 7. §. 1. 1. 23. D. de Usufructu.

(h) Vid. HEINECCII diff. de causa seruitutum perpetua §. 24. seq.

negari nequeat, seruitutes praediales semper fuisse perpetuas, et praedium secutas esse, (l) ac ob id constituta semel huiusce generis seruitute in praediorum uenditionibus exprimi solemne fuisse, quibus est servitus, utique fit, ita sit: itinera, actus, quibus sunt, ita sunt, (k) nullus tamen contendere ausim, et apud Romanos constitui potuisse seruitutes sine causa perpetua. (l)

§. IV.

DE CONSTITUTIONE ET ADQVISITIONE SERVITUTVM.

Ipsae uero res, quibus seruitutes imponuntur, nobis aperiunt campum considerandi modos, quibus seruitutes constitui constat. Eo redeunt, quod constituantur 1) natura, 2) dispositione legum, et tandem 3) hominum auctoritate tam a) publica quam b) priuata. Fallor uero, aut exemplum seruitutis natura constitutae praebet fundus inferior, quum ob naturalem indolem fundi superioris aquam profluente excipere debeat. (a) Eo minus etiam dubium est, seruitutem constitui posse per legis dispositionem; quo maiori abundamus copia exemplorum, quibus id possemus illustrare. Ita enim, ut paucis me expediam, noto notius est, leges Romanas indulgere Patri, qui emolumenta e bonis li-

bero-

(l) I. 12. Commun. Praediorum l. 20. §. 1. D. de Aequir. Rer. Dom.

(k) I. 17. §. 3. de S. P. V. l. 33. de contrah. Emtione BARNAE. BRISSONIVS de form. I. VI. p. 554.

(l) I. 4. de S. P. R. l. 2. Comm. Praed.

(a) Vid. l. 1. §. 13. 22. et 23. de A. c. A. P. et DONELLVS in Comment. ad Ius Cinile Lib. XII. C. 8.

berorum aduentitiis percipiat. (b) Imo nec quispiam inficias ibit, et publica auctoritate constitui posse seruitutem. Anteſtor ea propter iudicia diuiforia (c) non minus, quam eum modum, quo iudex, si quis aditum ad agrum non habeat, potest ius itineris, actus, uiae constituere, damnato altero, ut pretium exſoluat. (d) Imo et priuata auctoritate seruitutem constitui posſe, norunt ad unum omnes, modo conſtituentis ius domini, quod in re seruitute oneranda habet, tempore non expiret, nec deſtituatur domino pleno et quidem totius rei, cui imponenda eſt seruitus. Illius uero promissio fieri ſoleat, uel per conuentionem inter uiuos (e), uel ultima uolunta-te. (f) Quum uero ratio, qua seruitutes conſtituuntur, ab ea, qua adquiruntur, probe fit diſcernenda; et modos, quibus quis seruitutes poterit acquirere, conſiderare e re erit. Errare non uidentur, qui tres affumunt. In eorum autem clafe primum locum occupat quaſi traditio. Quo certius enim eſt, seruitutem pactionibus et stipulationibus promitti, ex iisque ius modo personale naſci, eo minus dubium eſt, stipulationes haſce ſequi debere quaſi traditionem in uſu adquientis et concedentis patientia conſistentem. (g) Alterum uero locum attribuo praefcriptioni extraordinariae et temporis longiſſimi. Noſtra pagina non capit diuersa temporum interualla, quibus diuersa iura circa uſuaptionem seruitutum introducta ſunt, et quae triumviri de Iurisprudentia meritifimi

I A C.

(b) Quem Uſumfructum ntpote lege debitum Pater retinebit faluum, etiamſi liberis non exhibere debeat alimenta v. COCCEII I. C. L. VII. Tit. I. qu. 3.

(c) DONELLVS I. c. cap. IV. (d) I. 44. §. ult. D. de legat. I.

(e) §. 1. I. de Uſufructu §. 4. de seruit. I. 4. D. eod.

(f) §. 1. I. de Uſufruct. I. 3. et 6. pr. eod. I. 16. commun. Pand.

(g) I. 3. de Uſufr. I. 20. de Seruitut.

IAC. RAEVARDVS, (h) EBERH. OTTO, (i) III. ESTOR
(k) summo studio euoluerunt. Illud saltim breuibus monuis-
se iuuat, quod ea, quae ius decemuirale de fundi usucapio-
ne constituisse, ad seruitutes trahi non poterant; quippe u-
scapio non siebat sine possessione, (l) quae ipsa uero in ser-
uitutes tanquam res incorporales non cadebat. (m) Deinde
uero quum interestet reipublicae, seruitutum usucaptionem pos-
sessionis fictione, iuris aliqua auctoritate ratam haberi, id
quod a decemuiris de seruitutibus usucapiendis erat omissum,
ab iis prudentibus suppletum esse opinor, qui ius ciuale non
scriptum constituebant. (n) Hanc ipsam uero usucaptionem,
quae constituebat seruitutem, sustulit incluta illa lex Scribo-
nia. (o) At licet durum nimis et iniquum Scribonio uidere-
tur, dominis saepe ignorantibus, fundos et aedes tam breui
tempore, puta biennii spatio, aliorum seruituti subiici; pae-
tores tamen, longiore id fieri tempore, dixerunt et dominorum
negligentiam adisci, haberique rationem minuendarum
litium, quae saepe saepius inter uicinos orirentur. Hinc in
locum usucaptionis seruitutum praescriptio diurni temporis
surrogata, (p) licet nuspia praeescriptionis, sed patientiae

uoca-

- (h) In libr. singul. ad leg. Scriboniam. Recudi eum curavit B. CON-
RADI in lib. cui titulus; Triga libellorum, quibus Jura
Usucaptionum vindicantur.
(i) In diff. de Usucap. Seruitutum.
(k) In Tr. von der verworrenen Lehr der Usucaption.
(l) l. 25. de Usurp. et Usucap.
(m) l. 32; §. 1. de S. P. V.
(n) Vid. RAEVARDVS I. c. C. II.
(o) Vid. praeter RAEVARDVM I. c. GRAVINAE Orig. Iur. Ciuil.
p. 396. Edit. Lipf.
(p) l. 10. D. si seruitus uind. addo CONRADI Praef. de historia
usu.

B



uocabulo; aliisque similibus uocibus designetur a Ictis. (q) Huic praescriptioni seruitutum extraordinariae superaddidit IVSTINIANVS ordinariam. Quare uides, quod triplex adquisitiuae seruitutum praescriptionis genus obtineat. Nimirum supereft illa praeforia sive extraordinaria, qua nimirum is, qui diuturno tempore ultro usus fit fundo alieno, tanquam seruiente absque uitio, i. e. neque ui, neque clam, neque precario, defenditur in seruitutis quasi possessione. (r) Ordinaria a IVSTINIANO adiecta praescriptione seruitus acquiri potest X annis inter praesentes, et XX inter absentes, modo interuenerit bona fides et iustus titulus, ut, si a uicino, non domino, seruitus est uendita, legata, donata, aut ailio titulo mihi est constituta, qui ignoror, uicinum non esse, uerum fundi dominum, securus sim aduersus dominum superuenientem, nulla huius scientia uel ignorantia exspectata. (s) Ipsa tandem praescriptione temporis longissimi seruitus acquiritur, ita, ut si adfir b. F. inde detur actio. (t) Nec omitendum esse opinor, seruitutem quoque acquiri posse per successionem singularē, qua quis seruitutem ultima concedentis uoluntate sibi reliqtam adquirit.

§. V.

DE E F F E C T U SERVITUT V M.

Effectus vero, qui a seruitutibus produci solent, uel tan-

usucaptionis d'cto libello praemissam §. XVII. Anomala etiam dici solet, prout eam COCCEIVS in sing. quad. diff. Vol. II. exercit. curios. n. 20. muncupavit.

(q) Vid. OTTO I. c. Cap. II. §. 8. fqq. et CONRADI I. c. §. 17.

(r) L. 10. si seruitus vindicetur.

(s) L. ult. in fin. C. de praescription. long. temp.

(t) L. 8. §. 1. C. de praescript. 30. uel 40. ann.

¶ ¶ ¶

II

tangunt obligationes et iura e seruitute constituta promanantia, uel spectant remedia seruitutum ergo a legibus indulta. Norunt uero ad unum omnes, quod is, qui seruitutem debet, siue, ut terminum technicum adhibere nullus negligam, dominus seruiens obstrictus teneatur, aut pati, aut non facere, aut facere id, quod seruitutis ratio requirit, uel sine quo seruitus absolui nequit. Non est ergo, ut in seruitutis exercitio impeditat eum, cui illa debetur, (a) multo minus irre, quae seruitutem debet, fuscipiat ea, quae tendant in dominantis damnum incommodumue. (b) Fallor uero, aut alia esse statuendum est iura domini dominantis, alias uero eiusdem illius obligations. Si illa confideres, gaudet is facultate α) definitam percipiendi non minus utilitatem, β) quam ea adminicula adhibendi, sine quibus seruitutis usus se exferre nequit. (c) At si hae, quas dominus dominans ob constitutam et acquisitam seruitutem praestare debet, obligations tuam attentionem effugere non debent, in earum classe non insimum meo quidem iudicio locum occupat id, quod illius ui dominus dominans ad perceptionem oeconomicam seruitutis teneatur obstrictus. Nisi me falli dicas, crederem perceptionem oeconomicam omnia ea involuere, quae faciunt, ut dominus dominans ita exerceat seruitutem, ut ne sine causa oneretur res seruiens. (d) Quae cum ita sint, prono aliue exinde fluere mihi uidetur, dominum dominantem concessiam seruitutem in praeiudicium seruientis extendere non posse, (e) neque aliter seruitutem exercere posse,

B 2

quam

(a) l. 15. §. 6. ff. de Vſufructu.

(b) l. 14. ff. de S. P. R.

(c) l. 20. §. 1. ff. de S. P. V. l. 11. ff. C. P. l. 73. ff. de Vſufructu.

(d) l. 9. ff. de Seruitib. (e) l. 20. §. 8. ff. de S. P. V.

❧

quam natura eius requirit. (f) Sed quoniam leges etiam uolunt, ut is, qui commoda sentit, sentiat etiam incommoda, in clas- se obligationum, quas a domino dominante exigimus, sese ostendit etiam ea, quod is scilicet curate obseruare debeat modum exercendae seruitutis, uel conuentione uel ultima concedentis uoluntate praescriptum. (g) Nostra pagina non permittit, dicta iura et obligationes stilo ulteriori prosequi. Ordo potius poscit, ut recenseamus remedia seruitutum ergo comparata. Constat uero, unum fluere e libertate naturali, alterum uero ex ipsa seruitute. Ea nimur actio, quae e liber- tate naturali descendit, dici solet negatoria, cuius uarios fines uix quisquam enodatus doctiusque exposuit, ac pre- ceptor meus et post fata uenerandus, MENKENIVS in coelis iam triumphans. (h) Remedia uero, quae suum fun- damentum habent in seruitute ipsa, duplicitis generis sunt, alia nempe petitoria, possessoria alia. Illorum uero censu adiicienda est actio, quam nominare confueuimus confessio- riam. (i) Hisce autem seruitutis quasi possessionem fieri

mos

(f) l. 9. ff. de Seruitib. l. 24. ff. de S. P. R.

(g) l. 4. pr. §. 1. l. 5. §. 1. ff. de Seruitib.

(h) In delineatione Action. forensium, quam quam ultima perpolire manu Viro Optimo non permiserit præmatura mors, prelio mox subiiciendam curabit ILL. EISENHARDT. Eodem autem tendunt fines 1) ut fundus liber declaretur l. 17 §. 1. D. si Seruitus uindicetur 2) ut Reus a turbatione de- sistat, et cautionem de non amplius turbando praeflet l. 12. D. eod. iunct. l. 5. §. fin. si Vsufruct. peatur, 3) ad restitu- tionem rei in pristinum statum, 4) ad fructus per exercitam ser- uitutem perceptos et percipiendos restituendos l. 4. §. 2. l. 7. et 12. D. si Seruitus uindicetur.

(i) Huius Actionis fines sunt annotante B. MENKENIO l. c. 1) ut decla-

mos est, modo eius indolis sint, ut eorum auxilio aut omnium, aut saltim unius alteriusue seruitutis quasi possessionem defendamus. Prioris generis species considerari poterunt uel ut generales, quo referrem interdictum, uti possidetis, uel speciales, quibus annumerari potest noui operis nunciatio, interdictum quod ui aut clam, actio ad cautionem damni infecti praestandam, actio aquae pluviae arcendae. In eorum vero classe, quae posterioris generis species constituant, seu quae propriae sunt quibusdam tantum seruitutibus, agmen ducant e. g. interdictum de cloacis, interdictum de itinere actuque priuato, interdicta de aqua quotidiana, aestiu, castello, interdictum de riuis, interdictum de fonte, et de fonte reficiendo.

§. VI.

D E A M I S S I O N E S E R V I T U T V M.

Modi uero, quibus seruitutes esse desinunt, ita comparati sunt, ut illorum auxilio aut omnes, aut una alteraue tantum seruitus extinguatur. In illorum, puta communium, numero primum locum occupare uidetur consolidatio seu confusio, qua idem utriusque praedii dominus fit. (a) Eo-

B 3

dem

declaretur, seruitutem alteri competere l. 4. §. 2. l. 6. D. si Seruit. uind. 2) ut reus a turbando defisiat, et cautionem de non amplius turbando praefest l. 12. D. cod. 3) ad omne Interesse praestandum ratione fructuum, omniaque in pristinum statum restituenda l. 4. §. 2. l. 7. D. cod.

(a) Modo totius praedii dominus fuit l. 8. §. 1. ff. de Sernitib. et in perpetuum l. 1. ff. quemadmod. Seru. amitt. l. 30. ff. de S. P. V. l. 7. pr. C. P. In dominio reuocabili si temporali restitu-

re

dem etiam referrem remissionem tam expressam quam tacitam. Dubium vero non est, desiderari, ut animus remittendi adsit, (b) quem uero exinde colligi posse putarem, si id, quod factum est, seruitus usum plane impedit. Ad modos autem proprios certo tantum generi seruitutum pertinet 1) extinctio concedentis dominii temporalis: (c) indubitate enim iuris est, quod nemo plus in alterum transferre possit, quam quod ipse habet: 2) existentia conditionis resolutiuae, sub qua seruitus alteri est concessa: 3) lapsus temporis in seruitute ad tempus constituta: 4) praescriptio extinctiua, seu non usus. In hoc ipso autem casu ultimo distinctio adhibenda esse uideatur; uidelicet inquirendum, utrum utendi occasio adfuerit, an uero usum rei casus fortuitus impediuerit, tunc enim seruitus non amittitur. Si rem in uniuersum intuearis, utendis intermissione uoluntaria amittitur seruitus, si uero fuerit necessaria, restitui scimus seruitutem ex legum aequitate. (d) 5) Interitus praedii, modo totalis fuerit. Etenim seruitus est ius in re; per interitum uero partis fundi nondum extinguitur seruitus.

§. VII.

re seruitus reniuiscit I. 18. de Seru. l. 7. de fundo dotali l. 9. C. P. Tunc enim non exsinguitur seruitus, licet exercitium modo suspendatur: Nec fecus res se habet, si aliam ob rem iura confusa reuiniscunt, et etiam si hereditatis aditione seruitutes confusa sint, heres tamen si praedium seruiens legatario vel fideicommissario restituit, seruitutes praedio salvas integrasque seruare debet; idque ex praesumta uoluntate testatoris I. 18. ff. de seru. l. 2. §. 18. ff. de hered. vel act. uend.

(b) l. 17. Comm. Praedior.

(c) l. 11. §. 1. ff. quemadmodum seruitutes amittantur.

(d) l. 35. ff. de S. P. R.

§. VII.

DE VARIIS SERVITVTVM GENERIEVS RATIO-
NE SVBIECTI DOMINANTIS.

Nec iniucundum nec inutile fore opinamur, si in praesens paullo penitus euoluamus notiones, quae menti de diuersis seruitutum speciebus obueniunt. Prius uero, quam nos ad considerationem divisionis specialis accingimus, monuisse haut incongruum erit, seruitutes alio modo inter se differre ratione subiecti dominantis et seruientis, alia etiam ratione intuitu constitutionis, alio tandem modo respectu exercitii. Hic considerasse sufficiet, qua ratione differant seruitutes habita ratione subiecti dominantis, aliis in differentiis sigillatim recensendis poltea erimus occupati. Quum uero sermo iam sit de diuersis seruitutum generibus, si subiectum dominans intueamur, praecipuam earum opinor divisionem eo redire, ut aliae sint personales, reales aliae. Illas uocamus, quae personae debentur, seu ex quibus persona immediate percipit utilitatem. Valet ergo de his inclutum iuris axioma, quod debeantur personae dominanti, non praedio dominanti; putarem uero, duplicitis easdem illas esse generis, puta, alias esse personales per se tales, quae semper personae dominanti, nunquam autem praedio dominanti acquiri scimus, quibus annumerarem usumfructum, usum, habitationem; alias personales per accidens tales, quae quidem ordinarie praedio dominanti acquiri solent, adeoque etiam inter reales referri, possunt uero, si conceduntur ad vitam domini dominantis, expressa dispositione restrictae esse. Si uis, ut exemplo res illustretur, cogites seruitutem aquae haustus. Ut plurimum quidem solet esse realis, eamdem tamen et personalem fieri posse,

se, innuunt iuris textus. (a) Seruitutes reales uocamus eas, quae praedio debentur, seu ex quibus persona nullam nisi mediante praedio utilitatem percipit. Quum uero omne praedium uel ad habitationem et commoditatem, aut oblectationem exstruatur, uel solius rei agrariae causa, factum est inde, ut praedia describerentur in urbana ac rustica, et ut seruitutis proinde urbanae nomine ueniret, quae debetur praedio urbano. Considerari autem hae possunt uel ut urbanae per se tales, quae ordinarie debentur praedio urbano e. g. lumen, prospectus, uel ut urbanae per accidens tales, quae regulariter praedio rustico debentur, et eam ob causam inter rusticas referuntur; in determinato autem casu praedio urbano sunt adquisitae. Ipse Ictus (b) eiusmodi exemplum adducit, seruitutem itineris, quae ordinarie rustica est, ad urbanas referens. Hisce uero seruitutibus opponi uides rusticas, quarum nomine eae uenire solent, quae debentur praedio rustico, hoc est, quod usui oeconomico, et rei agrariae est destinatum. Et has duplicitis generis esse statuo. Sunt enim aut rusticae per se tales aut per accidens tales: priores, quae regulariter debentur praedio rustico; huc referri conspicis iter, actum, uiam: posteriores, quae quidem ordinarie praedio urbano acquiri, adeoque urbanis annumerari solent; in dato autem casu in praedii rustici utilitatem sunt constitutae. Ita seruitus altius tollendi uocatur rusticus praedii seruitus, (c) quamuis usu iuris potius urbani praedii seruitus sit. (d)

§. VIII.

(a) I. 14. §. 3. ff. de Alimentis I. 37. ff. de S. P. R.

(b) in leg. 7. §. 1. ff. C. P.

(c) I. 2. ff. de S. P. R.

(d) I. 2. ff. de S. P. V.

§. VIII.

DE VARIIS SERVITUTVM GENERIBVS RATIONE
SUBIECTI SERVENTIS.

Abeunt vero seruitutes ratione subiecti seruentis hasce in species. Sunt nempe aliae seruitutes adfirmatiuae, quae patiendo ab'oluuntur, aliae negatiuae, quae in non faciendo, aliae tandem faciendi, quae in faciendo consistunt. Nec est, quod opponatur: non dari seruitutes in faciendo consistentes, quod quilibet ex regulis iuris civilis Romanii facile concescerit. (a) Ea enim apud Romanos erat seruitutum indeoles, ut illae non in faciendo, sed uel in patiendo uel in non faciendo consistere uiderentur. Probe enim ait POMONIVS: (b) *Seruitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, ueluti uiridia tollat, aut amoeniorem prospectum praeflet, aut in hoc, ut in suo pingat; sed ut aliquid patiatur, aut non faciat.* Accedit, quod percipienda esset ex seruitute utilitas perpetua. Num uero credas, huncce finem obtineri posse e hominum facto, seu e praestationibus personalibus? Tantum enim absit, ut perpetuam utilitatem e seruitute in faciendo consistenti percipi posse credam, ut potius ex eadem illa utilitas tantum incerta meo quidem iudicio sperari possit. (c) Alia autem uia incedunt Germani, ex eorum enim sententia fieri potest, ut seruitutes tam in patiendo et non faciendo, quam in faciendo consistere quicant. Rem ipsam illustrant

C exempla

(a) LEYSER Sp. II.7. Med. I. STRYK Vsi M. Lib. VIII. Tit. I. §. 3.
HEINECCI Elementa I. G. Tom. I. Lib. II. Tit. V. §. 131.

(b) I. 15. §. 1. ff. de Seruitutib. add. I. 6. §. 2. si seruitus uiridetur.

(c) N. H. GUNDLINGIVS in der Sammlung kleiner deutschen Schriften, pag. 454.

exemplis desumtis ab operibus rusticis, (d) pariter ac obliga-
tione oues agendi in alterius agrum, immo et iuribus banna-
riis. (e)

§. IX.

DE SERVITUTVM DIFFERENTIIS RATIONE CONSTITUTIONIS.

Alia insuper nobis obuenit differentia seruitutum, et quidem ratione constitutionis. Differunt igitur hoc intuitu seruitutes inter se 1) qua titulum, quo constituantur, unde seruitus legalis est, quae singulari legis dispositione nititur, et ad cuius substantiam praeter eam aliud nihil requiritur; (a) seruitus contra non legalis est ea, quae facto hominis constituitur: 2) qua temporis spatium, in quod constituntur seruitutes: ita enim seruitus perpetua est, quae perpetuo durat, qua indole uplurimum praeditae sunt seruitutes reales; seruitus temporalis autem, quae temporis periodo vel determinato vel indeterminato exspirat. Tale indeterminatum tempus deprehendimus in seruitutibus personalibus ad uitam hominis adstrictis. Differunt tamen hae seruit-

(d) Consulat hac de re EISENHARDTIVM Praeceptorem meum, quem, dum spiro, colo et amo, in ill. Viri Institutionib. I. G. priuati Lib. II. Tit. VI. §. 2. et ex instituto GERH. GOTTL. TITIVM, in diss. de seruitute faciendo Lipsi. 1710. ac EPHRAIM GERHARDIVM de Seruitutibus in faciendo consistentibus, Jenae eod. anno defensa.

(e) Quorum antiquitatem percipere licet ex memorabili charta ab HERGOLTIO Vol. III. codic. diplomat. gent. Habsburg. in lucem edita.

(a) cf. §. 1. 2. I. per quas personas cuique acquiritur l. 14. §. 1. C. de Seruit.

seruitutes personales. Aliae enim sunt temporales per se tales, quae numquam perpetuo durant, ut omnes personales: aliae sunt temporales per accidens tales, quae regulariter quidem perpetuae sunt, in dato autem casu ad tempus expressa dispositione restrictae. Hae igitur sunt seruitutes reales, quae eo casu ob conuentionem, vel ob aliam constitutentis dispositionem expressam, post determinatum tempus exprimir. (b) 3) Qua ipsum modum, quo constituuntur seruitutes, seruitus diuidua est, quae diuisionem recipit, adeoque per partes constitui et acquiri potest, e. g. ususfructus: (c) seruitus individua est, quae diuisionem non recipit, adeoque constitui, et acquiri per partes non potest. Individuae sunt omnes seruitutes reales, (d) ex personalibus uero usus (e) et operaे seruorum. (f)

§. X.

DE SERVITUTVM DIFFERENTIIS RATIONE EXERCITII.

Ordo nos iam dicit, ut intueamur differentias seruitutum ratione exercitii. Nos non aberrabimus, si primo omnium distinguemus inter initium exercitii, et istius continuationem. Quod ad initium exercitii, seruitutes qualificatae dicuntur, quae requirunt certum aliquod opus manufactum, antequam dominans iis uti possit; (a) simplices uero, quae

C 2

tale

- (b) l. 4. pr. ff. de Seruitutib.
- (c) l. 5. ff. de Usufructu,
- (d) l. 2. §. 2. l. 72. pr. ff. de V. O.
- (e) l. 19. ff. de Vsu et Habitione.
- (f) l. 1. §. 9. ff. ad legem Falcidiām.
- (a) l. 6. ff. de S. P. V.



tale quid non desiderant. Quod dein continuationem exercitii attinet, seruitutes continuae sunt, quarum usus exercitiumque est continuum; discontinuae autem eae dici solent, quarum usus et exercitium non continuum est, sed per interualla tantum obtinet. (b) Spernenda sane non est haec distinctio, et quidem ea ex ratione, quod nempe seruitus sua natura et essentia sit continua. Quis enim dixerit, seruitutem stillicidii esse continuum, qui consideret, non continuo pluere, et quis est, qui affirmet, agrum continuo producere gramen? Neque laudanda est eorum sententia, qui putant, discontinuas seruitutes fieri facto hominis interueniente. Exemplum stillicidii id probat: est ea seruitus discontinua, neque tamen factum hominis adhuc interuenit. Effectus deinde huius distinctionis ratione praescriptionis insignis est, quippe quod discontinuae ut plurimum immemoriale tempus, (c) continuae autem longum tempus desiderant. (d) Deinde hae usucapiuntur; (e) illae uero usu non capiuntur, propterea quod tales sunt seruitutes, ut non habeant certam continuam possessionem.

§. XI.

DE SERVITUTIBVS LEGALIBVS.

Mentionem fecimus seruitutem legalium, earumque notionem explicatam dedimus §pho IX. In eo consentiunt omnes, quod in eius generis seruitutibus subiectum dominans sit, in cuius

(b) I. 14. pr. ff. de Seruitutib.

(c) uid. tamen Domin. DE PVFENDORFF in Observationib. I. V.
Tom. I. Obsf. 52 §. ult.

(d) I. f. in fin. C. de Praeser. long. temp.

(e) I. 14. ff. de Seruitutib.

cuius fauorem hoc illudue singulare statuunt leges. Diuisio-
nem harum seruitutum earumque species diuersas considera-
se iam e re erit. Dispesci solent ita, ut uel species subiectum do-
minans, uel subiectum seruiens intuearis. Si seruitutes, de
quibus nobis est sermo, consideres, habita ratione illius, cui
debentur, abeunt in publicas, priuatas, mixtas. Istarum no-
mine uenient seruitutes, quae aut in reipublicae aut uniuersi-
tatis fauorem sunt introductae. Illas uero deprehendimus,
si in singularem priuati cuiusdam, ueluti uicinorum, gratiam
introductae sint. Me non errare credo, si contendam ex-
empla seruitutem legalium nos inuenire tam in iure Romano,
quam Germanico. Ita enim, et quem id quaeso fugit, usum-
fructum patri indulgent leges in bonis liberorum aduenti-
tiis: (a) ita etiam, quo rem perspicuam quidem magis illustrem
exemplis a seruitibus realibus petitis, ipse diuus I V S T R I-
N I A N V S fanciuit, ne ulli liceat ita aedificare, uel alio mo-
do uersari, ut uentum idoneum ad paleas a frugibus fecer-
nendas prohibeat, inutilemque domino aream faciat. (b) Ita
etiam ipsum ius, quod non in Latio, sed solo Germanico
succreuit, restringit potestatem domini, seruitutemque toties
imponit, quoties ius tertii, uel etiam commodum, aut ipsius
principis, aut uniuersitatis, laeditur. Hinc nemini, ut cum
E N G A V I O, (c) at quanto uiro, loquar, ex aedibus hortos,
aut in locis, ubi frumentum rarius, ex agris uineas, nisi con-
fenserit princeps, efficere licet; nec cuiquam datur, ut syluam
in agrum, uineam piscinamque redigat, nisi eo consentien-
te,

C 3

(a) §. 1. I. per quas person. cuiq. acq. I. 6. C. de bon. quae lib.

(b) I. 14. C. de Seruitutib.

(c) Iur. German. lib. II. §. 59. seq. RICCIUS Sp. I. G. pag. 684-
seq.

te; cuius ius uenandi uel paseendi imminuitur. At te iam inpatientem esse video, quod nullam hucusque dederim descriptionem seruitutis mixtae. Ita appello uero eam, quae partim in reipublicae et uniuersitatis, partim in priuatorum favorem est introducta. Ipsiis iuris patrii conditores attulerunt exemplum huius seruitutis mixtae. Videlicet, quum senatus, tamquam curatoris salutis publicae, sit prouidere, ne balnea publica, aut pistorum furni ipso incio exstruantur, sed ut potius inquiratur deliberationibus ea propter in curia institutis, an exstructio horum aedificiorum expeditat reipublicae, necne? caute sane ius patrium cauet, (d) ne quis, non impetrato prius expresso senatus et uicinorum consensu, balnea publica aut pistorum furnos exstruere queat. Restringitur igitur libertas aedificandi in suo, partim ob senatus commodum publicam utilitatem concernens, partim uero, ob ipsos priuatorum usus, quorum quippe ob periculum ex igne metendum interest, ne aedes huiusc generis prope domus suas exstruantur.

At nos dixisse recordamur, seruitutes legales diuidi etiam habita ad subiectum seruiens ratione. Ita uero esse possunt affirmatiuae, negatiuae, ut sunt pleraeque, imo et in faciendo confitentes. Hac ratione iuris patrii conditores disposerunt, (e) ut ne parietibus intermixcentur ligna. Hinc ut ne urbs incendiis daretur ruinis, restrictam uidemus libertatem aedificandi in suo, adeo, ut aedificaturus quaevis aedificia, tam uersus plateam, quam aream, ex fundamento usque ad fastigium lapide et caemento construere debeat.

§. XII.

(d) uid. Statuta Lubecensia lib. III. tit. 12. art. II.

(e) uid. Statuta Lubecensia I. c. art. 9.

§. XII.

DE AEDIFICATIONE AD AEMULATIONEM.

Quoniam uero prohibitio aedificationis ad aemulationem tanquam feruitus legalis priuata negatiua considerari potest; haud abs re esse uidetur, si quaedam de hac materia, secundum ius commune, hic apponam, hacce praeprimis ratione adiectus, quia paulo post ex iuris particularis dispositione pleniuerius hac de re dicendum erit.

At uero aemulationis natura ita comparata est, ut ex affectu uitioso, uel ex iniuria, uel ex intentione damnum alteri dandi, oriatur; ut adeo aemulatio, quantum ad aedificationem attinet, seu aedificatio ad aemulationem in genere, denotet quemcunque uitiosum affectum, quo quis alteri nocere, eiusque commoda imminuere intendit: speciatim aedificatio ad aemulationem dicitur, quando aedificans, quinnullam utilitatem ex nouo opere suo percipere uel sperare potest, tamen eodem damnum vicino inferre nullus erubescit. Ita WEIDLERVS. (a) Fundamentum igitur huius aemulationis eo absolu*i* opinor, quod quidquid aedificet aemulans, non sua utilitate, sed malitia contra uicinum suum commotus, suscipiat. Talem fraudem uero leges in uniuersum uerant, qua quis absque propriae utilitatis augmento alterius commidis iniuidioso detrahit, nec THOMASIO (b) hac ex parte assentiendum, qui axioma illud iuris naturalis, quod nemo

uidea-

- (a) in diss. de usu remedii contra aedificantem ad aemulationem §. I.
Vitembergae 1732.
- (b) in diss. non ens actionis forensis contra aedificantem ex aemulatione. Halae 1703.



uideatur dolo facere, qui iure suo utitur, et nemo damnum faciat, nisi qui id facit, quod facere ius non habet, ad aedificantem ex aemulatione extendendum putat. Nam si etiam nulla sit seruitus constituta, tamen haec regula nullo modo hue pertinet. Ea enim intelligenda est de eo casu, quo quis in suo promouere commoda nititur, et inde creat incommodeum vicino. Ita si quis extollat aedes suas, et obsecret lumina vicini, contra eum nulla est actio; (c) cuique enim licet (d) in suo aedificare ad suum usum. Sed, ut cum BRVNNE-
MANNO (e) loquar, limites ponendi decisioni huius legis, nisi quis extollat aedes uel aperiat fenestras aemulationis gratia. (f) Et ita nobis quoque sermo est de aedificante, qui nulla habita ratione utilitatis suae, alterius duntaxat laetitionem quaerit et intendit, quam improbitatem tamen leges non approbant. Deinde talis aedificans ea, quae facit, non iuris praefidio facit, sed iniuria inductus suscipit. Et sene illa iuris a natura traditi propositio, iure civili agnita, proprius non tangit nostram rem, partim quod societati humanae et aequitati naturali aduersum est, ut sub arbitrio, quod unicuique in re sua permititur, malitiis indulgeatur, (g) partim quod dolus nemini prodest debeat. (h) Sanctiones ciuiles id etiam lucu-

(c) l. 9. ff. de S. P. V. l. 8. 9. C. de Seruitutibus.

(d) l. 1. §. II. ff. de aqu. pluv. arc.

(e) in commentario ad ff. lib. VIII. tit. II. ad leg. 9.

(f) arg. leg. 3. ff. de oper. publ.

(g) l. 38. ff. de R. I.

(h) Ratio enim dicitat, ut non propriae solum sed aliorum etiam prosperitati consulamus, hancque tum demum illi postponamus, si et nostra et aliorum conseruatio simul obtineri negqueat. Præterea experientia constat, proprii commodi cu-
ram

luculente confirmant, quod nemini licet ad aemulationem alterius aedificare, et in Novelli 63. Cap. 1. generalis legitur regula ita sonans: *Non esse ludendum aedificando, sed aedes necessarias faciendas, nec ad vicini laesyonem machinationem inutilem suscipiendam esse.* Et MARCELLVS ait: (i) *cum eo, qui in suo fodiens vicini fontem auertit, nihil posse agi, nec de dolo actionem et sane non debet habere, si non animo vicino noendi, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit.* Inde sponte sequitur, ut contra eum, qui in suo fontem facit, non ut agrum suum meliorem efficiat, sed ut vicino calumniose noceat, actio omnino sit permittenda, et eam ob causam a THOMASIO dissentientendum, qui contra aedificantem ad aemulationem iure agi non posse contendit, sed tale remedium inde competens non ens dicit. (k) Tandem l. 3. pr. ff. de Operibus publ. suppetit exemplum, quo praua aedificantium aemulatio legib. Rom. damnatur, his uerbis: *Opus nouum priuato etiam sine principiis auctoritate facere licet, praeterquam si ad aemulationem alterius ciuitatis pertineat, uel materiam seditioni praebeat, uel circum theatrum uel amphitheatrum sit.*

Quum igitur aedificatio ad aemulationem clare diserteque in legibus prohibetur, nullum amplius in mente

D haeret

ram, ab aliorum felicitatis propagatione prorsus semotam non nisi bellum omnium contra omnes secum trahere, quod tamen a LL. societatis plane alienum est. Consulas hac de re Dominum HOEFLERVM, Praeceptorem ac Fautorem meum suspiciendum, cuius quotidie in me collata benevolentiae specimina omni qua par est gratitudine et pietate recordor, in Consultissimi Viri Commentatione de primis et gen. LL. fontib. §. XIII. et XIV.

(i) in leg. 1. §. 12. ff. de aqua et aqua plun. arc.

(k) in cit. diff.



haeret dubium, dari actionem uel remedium ad coercendam aedificantium aemulationem idoneum, sed quidnam illud sit, iamiam uidendum erit. Leges modo adductae obligationem iniungunt, ne quis audeat in aemulationem alterius aedificare, genus uero actionis non exprimunt; quoties autem id accidit, ut leges obligationem iniungant, nec caueant, quo genere actionis experiendum, toties condicione ex lege agendum esse, docet P A V L U S. (l) Itaque et talis condicione ex legibus citatis laeso ob aedificationem ad aemulationem competere debet. Sed aliud paulo pinguius et praestantis remedium contra tales nefarium aedificantem competere potest, nempe noui operis nunciatio. Nam omnia aedificia uel iure fiunt uel iniuria, et ita Praetor generale quoddam remedium aduersus omnes aedificantium iniurias proposuit, et in editio quodam se facturum promisit, ut siue iure siue iniuria opus fieret, per nunciationem inhiberetur, teste V L P I A N O. (m) Hoc autem remedium Noui operis Nunciationis aduersus futura opera instituendum est, non aduersus praeterita, hoc est, aduersus ea, quae nondum facta sunt, ne fiant: (n) Nam si facile aliquid factum fuerit, quod fieri non debuit, cessat hoc remedium, et transeundum ad interdictum, quod si aut clam factum, ut restituatur. (o) Effectus remedii noui operis nunciationis consistit in duplice interdicto, (p) quorum unum ad demolitionem, alterum ad restitutionem tendit:

(l) in leg. un. ff. de conditione ex lege.

(m) l. i. pr. ff. de N. O. N. (n) l. c. §. 1. de N. O. N.

(o) l. c. de N. O. N.

(p) uid. L A V T E R E A C H I V S in C. T. P. lib. XXXIX. T. i. §. 30.
seq.

dit: (q) istud competit nuncianti, eius heredibus, et successoribus (r) contra nunciatum, qui postea opus fecit, vel factum ratum habuit, (s) eiusque heredes (t) et successores singulares, (u) ad id, quod post legitimam nunciationem sive iure sive iniuria factum, destruendum: (x) hoc uero est prohibitorium, (y) et datur nunciato contra impedientem nunciatorem, qui intra constitutum tempus de iure suo praetenso non docuit, aut, quum cautum ei sit, oblatam cautionem idoneam ex illegali ratione accipere recusat, (z) ad hoc, ut prohibetur impedire, quo minus opus facere liceat. (aa) Haec de remedii circa aedificationem ex aemulatione competentibus. At uero circa horum remediiorum applicationem obseruandum, 1) aemulationem non praefumi, sed ab adducente probari debere: 2) eam probationem absolui ut plurimum uerisimilibus conjecturis, (bb) si nempē, quum aedificans nullam ex constructo sentiat utilitatem, uicino autem damnum inferatur: idem forte dici posset, si esset modica utilitas, et magnum damnum uicino fieret, et essent inimici. Ea enim praesumptio hic militat, quod inimicus faciat omnia, quae inimico nocere possint. 3) Dijudicatio quaestioneis, an damnum afferat uicino aedificium, et an nullam praefestet aedi-

D 2

difi-

(q) I. 20. pr. ff. de N.O.N.

(r) d. I. 20. §. 6.

(s) d. I. 20. §. 7.

(t) I. 8. §. f. I. 20. §. 8. I. 22. ff. de N.O.N.

(u) I. f. ff. eod.

(x) I. i. pr. §. 7. I. 20. §. 10. I. 21. §. 1. ff. eod.

(y) de quo in leg. 20. §. 9. 10. ff. eod.

(z) d. I. 20. §. 9. 13. 15. I. 5. §. 17. ff. eod.

(aa) d. I. 20. §. 9. et 10.

(bb) uid. MEVIVS in Commentario ad Ius Lubecense P. III. Tit. XII. Art. VII.



dificant utilitatem, iudicis arbitrio relinquenda est, qui peritos in arte adhibeat: 4) ceterum et hoc tenendum, non statim quodlibet incommode, aut lucri uel voluptatis ademtionem pro damno hoc effectu habendam esse.

§. XIII.

DE AEDIFICIORVM SERVITVTIBVS LEGALIBVS EX IVRE LVBECENSI GENERATIM.

Sicuti uero secundum iuris civilis Romani principia feruitates legales in diuerfas abeunt species; ita etiam tales aedificiorum praecipue fistit ipsum ius Patrium, et quidem eius Tit. XII. Lib. III. Admirari uix satis possumus prudentiam *Legislatorum Lubecensium*, qui I. generatim uolunt et constituant, ut aedificatu aedificiis exstruendis suum excedere non liceat solum; (a) multo minus ea ita exstruere, ut inde incommodi quid uicinus sentiat. (b) Proinde necesse est, ut non modo peritorum seniores adhibeantur, (c) sed ut etiam aedifica ex lapide ac caemento construantur, propriasque latrinas habeant. (d) Nec eo tantum absolvitur prudentia patriarcharum legum: determinant insuper II. regulas, quas aedificaturus in re communi sequi debeat (e). Volunt etiam III. ut aedificans uersus plateam obstrictus teneatur seruare normam aedificiorum antiquam. (f) Quid? quod uolunt legislatores iuris Patrii, ut ne, quae antea non exstiterint partes, aedificiorum nouae exstruantur cum uicinorum

- (a) uid. Artic. 3.
- (c) uid. Artic. 3.
- (e) uid. Artic. 2.

- (b) uid. Artic. 3. 7.
- (d) uid. Artic. 9.
- (f) uid. Artic. 1.

norum damno, (g) neue latrinae inferant damnum, contrariaeque sint aut utilitati publicae aut priuatorum iuribus. (h) Cauent tandem, non modo, ut paucis me expediam, de pariete communi, (i) de seruitute iam constituta per aedificia non uiolanda, (k) sed tradunt etiam quaedam de prohibita aedificiorum destinatione ad opicia periculosa et incommoda. (l) Quae quum ita sint, uix quisquam inficias ibit, titulum iuris Patrii modo memoratum, quem ulteriori opera illustrare animus gestit, agere solum de priuatorum aedificiis, non uero de iis, quae publicorum nomine uenire solent. Ceteroquin cum celeberrimo STEINIO (m) affirmare nullus dubito, eundem ipsum Titulum obligationes immediate ex LL. dispositione fluentes fistere, licet egomet ipse laudatam a STEINIO connexionis rationem, quea inter hunc et praecedentem Titulum; *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, intercedit, adprobare non possum.* Constitutiones autem, quas dictus Titulus ratione aedificiorum priuatorum continet, eius indolis esse quiuis rerum paullo callentior fatebitur, ut instar legum politiam adornantium considerari iure debeant. Noli uero credere, easdem illas ob politiae ueteris, cui accommodatae erant, statum subinde mutatum hodie exula-re in foro patrio, nec eorum applicationem nostra aetate esse sperandam. Licet enim tibi hancce thesin forsitan defendi concederem, cessare tunc legum harum usum sicubi deest dispositionis obiectum, quoniam tunc lex propter defectum

D 3

obiecit

(g) uid. Artic. 13.

(h) uid. Artic. 10.

(i) uid. Articulis 4. 5. 6. 14.

(k) uid. Artic. 8. 14.

(l) uid. Artic. 11. 12.

(m) in der Abhandlung des Lübischen Rechts T. III. §. 222.



obiecti actualiter applicari non potest: attamen secus dicendum erit, si dispositionis obiectum reuiuscatur. Ita enim, si quo uiuimus aeuo nulli Lubecae fixam sedem haberent pisces mollitores, (Fischweicher) dispositio in Art. XII. obvia ratione horum hominum non posset applicari; quis uero ea propter contendere auderet, plane nullum hinc esse eiusdem legis usum? Certe contrarium uideri posset, si istius generis homines Lubecam redirent.

§. XIV.

DE SERVITUTVM LEGALIVM, QVAE IVRE LUBECENSI CIRCA AEDIFICIA OBTINENT, INDOLE ET NATURA.

Nullus quidem abnuo, generatim a Lubecensibus aestimari seruitutum personalium, realium, urbanarum, rusticarum aliarumque indolem ex iuris communis principiis, si nempe statutum non singulare quippiam aut iuri communī contrarium disponat. E re ergo nostra esse putamus, si indolem seruitutum legalium Lubecensium ratione aedificiorum paullo penitus inspiciamus. Hic annotasse iuuabit, seruitutes illas aedificiorum legales I) esse ueras seruitutes: quippe restringunt libertatem naturalem, sive species proprietatem seu ius disponendi, sive intuearis usum seu ius utendi: esse uero easdem II) iura singularia, hinc III) respovere eas interpretationem extensiā ob regulam, quae praecipit omnem conuentionem a iure naturali exorbitantem adeoque et statutum, quod species conuentionis inter superiores et inferiores f. senatum et ciues est, stricti iuris esse. Recipiunt uero, meo quidem iudicio, diuisionem §. XI. memoratam, et hinc erunt habita ratione subiecti

iecti dominantis publicae, (a) priuatae, (b) mixtae; (c) considerata uero subiecti seruientis ratione abeunt in negatiuas, (d) et in faciendo consistentes: (e) adfirmatiuarum tamen exemplum nullum praestare titulum de aedificiis priuatorum fateor. Rationes uero, ob quas hae seruitutes constitui solet, et ab utilitate publica et a damno incommodoue sunt repetendae, quod seruitute non constituta sentirent priuati, ex aequitate remouendum. Contra seruitutem legalem publicam dispensare potest MAGISTRATVS AMPLISSIMVS, tanquam curator salutis publicae; uix autem contra seruitutes legales priuatas uel mixtas, sed tunc eorum priuatorum consensus requiri solet, in quorum fauorem hae seruitutes a lege constitutae sunt.

§. XV.

DE IURE VICINITATIS CIRCA SERVITUTES AEDIFICIORVM LEGALES LVBE- CENSES.

At quum ad unum fere omnes seruitutes aedificiorum legales tam secundum iuris patrii, quam aliorum iurium particularium, dispositionem aut primario aut secundario in fauorem uicinorum constitutae sint, egisse quoque et hic iuuabit de iure vicinitatis in genere, in specie autem, quatenus illustrandae materiae de aedificiorum seruitutibus inferuire potest. Quum uero potior quidem rerum, prior autem uerborum tractatio esse debeat, per quam ad rerum cognitio-

nem

- | | |
|--------------------------|-------------------------------|
| (a) cf. Artic. 1. 9. 10. | (b) cf. Artic. 7. 10. 12. 13. |
| (c) cf. Artic. 9. 11. | (d) cf. Artic. 7. 10. 11. 12. |
| (e) conf. Artic. 9. | |

nem multo facilius peruenire possumus, commodum quoque erit, ut antequam ad rerum tractationem pergam, uerborum significationem praemittam. Iuris uocabulum adhuc repetere non est animus, sed hoc monuisse sufficit, nos illud pro facultate morali, personae ad aliquid agendum uel habendum competentem, accipere uelle. (a) Vox uicinus uarios admittit significatus tam in Iure Romano, quam in Iure Germanico. Quod ad Ius Romanum, uicinum a uico dici et uicum a uia, communis est sententia. (b) Sumitur dein haec uox uicinus in Iure Romano tam adiective, quam substantiue: ita priori in sensu leguntur uicinae aedes, (c) uicinus fundus: (d) sumitur posteriori sensu, uel substantiue quando uicinus proximus et ulterior dicitur, (e) et uicinus proximus opponitur superiori. (f) Iure autem Germanico uox uicinus uaria sortiri solet nomina, ita uicinus dicitur Nachbar, Nachbauer, Nach Gebur, Mahgipur, Mahgipure, Nabuur, Neighbaur. (g) Quemadmodum autem nulla, imo ne minima quidem, concipi potest societas, nisi inter duos, ita nec uicinus dici potest, nisi habita ratione ad alium uicinum; quare sicuti nemo fibi

- (a) Sed huiusmodi facultas sine lege concipi non potest. Est enim uirtus legis l. 7. D. de I.L. uid. Consultissimi HOEFLERI diff. de Iurispr. anal. fund. §. 4.
- (b) VARRO lib. 4. de lingua latina PETR. GREGOR. THOLOSANVS in syntagma, l. V. lib. IV. c. 24. n. 2.
- (c) l. 18. §. 2. l. 13. §. 3. D. de damno infecto.
- (d) l. 17. D. de stipulationibus seruorum l. 18. §. 2. D. de acquirend. Poff.
- (e) l. 1. §. n. D. de cloacis.
- (f) l. 8. D. de N.O.N. BRISSONIVS de V. S. uoce Vicinus.
- (g) l. G. WACHTERI glossarium germanicum tom. I. uoc. Nachbauer.

sibi ipsi obligari aut secum pacisci potest, (h) ita sui ipsius vicinum esse, ab usu iuris prouersus est alienum. Iura vero vicinis competentia sunt uel vicinis omnibus ac singulis communia ac uniuersalia, uel singulis vicinis contra vicinum unum uel duo tantum, non vero uniuersam viciniam, singularia ac particularia. (i). Pagina nostra non permittit, nec institutum efflagitat, ut omnia iura, quae vicinis intuitu vicinitatis competere possunt, silio ulteriori persequamur: sufficiat, quaedam tantum de retractu ex capite vicinitatis annotare. Ob vicinitatem autem confinii retractus conceditur, ut vicinus rem extraneo uenditam retrahere possit. (k) Causam retractus ob vicinitatem plerumque tradunt incommodum, quod ex vicino malo oritur. (l) Quum vero in antiquissimis statutis eius iam occurrant uestigia, (m) causam huius iuris et ex antiquissimis moribus Germanorum deducendam esse crederem. Nam nisi fallor, uidetur mihi cultus vicinitatis olim apud Germanos obseruatus aequitatem huius iuris valde subleuasse. Quem enim fugit consacralium prouinciam saepe saepius vicinis delatam fuisse? (n) quem fugit, vicinorum cognitioni multoties subiecisse vicino-

rum

(h) arg. L 1. §. 3. ff. de pacis l. 7. C. cod. l. 75. ff. de solut.

(i) uid. I. I. BECK in Tractatu de Iure Viciniae C. 1.

(k) uid. III. EISENHARDT in Inst. I. G. lib. III. tit. VIII. §. 22.

(l) ENGAV. I. G. lib. 3. §. 92. E. F. SCHRÖTERI diss. de iure vicinitatis, Jenae 1664.

(m) uid. HEINECII E. I. G. lib. II. tit. 14. §. 413.

(n) uid. ILL. IOH. CAROL. HENR. DREYERI, Praepositi Capituli et Syndici Reipublicae Lubecensis meritisimi, cuius merita in me oppido praeclara, quoad hos artus reget spiritus, ueneratione colam, Tr. de cespitalitatis requisito in testibus habili- bus § 18. not. b.

rum contouerfias Iura Cimbrica? Id quod affero, probat LEX SCANICA; (o) Eligendi sunt de Vicinis duodecim, prudenter Bondones, de quibus praesumti possit, ut non uelint etiam in propria causa peierare, ut exortam super possessione quaestionem suo dirinant sacramento. Audias porro leges RIPENSES: (p) Quicunque in ciuitate nostra in domo, uel in uico, nocte, uel die, in facto homicidii non deprehensus fuerit, vicini duodecim ex parte utraque, ubi factum fuerit homicidium, citentur ad discernendum super eodem homicidio, et inuenire tenentur, quis Reus sit ipius mortis etc. Statuta WAGENBURGENSIA: (q) Vbi aliquis accusationis uel alterius rei causa a Judice scripto citatur, si septem Altiae et septem vicini ex ipso pago sumentur, certiorare et purgare ipsum uelint, purgat se. Ita et Ius FRISICVM sancit, ut vicini uices compurgatorum gerant, iisque obligationem iniungant, ut decidant contouerfias uicinorum, etiam incio Judice loci. (r) Et Iure FLENSBURGENSI, (s) si iusto termino non soluta est conduictio, ea a duobus uicinis extorqueri potest: immo ex statuto HILDESENSI, deficiente tutele legitimo, onus tutelae impuberis uicini uicino demandatum est. Quis non uidet, per has aliasque dispositiones uicinis magna onera, immo et incommoda, imposita esse? Quum ergo onera subire teneretur uicinus, aequum erat, ut eorum loco ipsi commodi quid et praerogatiuae tribueretur: id eo factum esse uideimus

(o) l. IV. c. 12. p. 2044.

(p) a. 1269. art. 2. 3. p. 1999.

(q) art. 19 ap. SICCAM. In not. ad leg. Fris. p. 24.

(r) uid. Summe uenerandi Prepositi Capituli et Syndici Reipublicae Patriae meritissimi D. IOH. CAROL. HENR. DREYERI Sammlung vermischter Abhandlungen. tom. III. pag. 1496.

(s) uid. art. 130.

mus, dum uicino in re immobili a uicino uendenda in non paucis Germaniae ditionibus indulgentur iura protimiseos Nähr - Recht s. das Nachbahr - Recht. At enim uero ius retractus ex capite uicinitatis, quoniam est ius particulare Germanicum, ex antiqua consuetudine quorundam locorum seruatum, locum quoque non inuenire potest, nisi alicubi receptum doceatur. Scio quidem, non paucos contendere, illud lege quadam uniuersali, nimirum constitutione FREDERICI II, (t) introductum esse. At, si quod sentio ingenue fateri licet, existimo istam Constitutionem in gratiam Italorum modo latam fuisse. Quare eo magis necesse est, ut is, qui ad obseruantiam illius prouocat, eandem doceat, (u) quo certius est, retractum uicinitatis impedire commercia non minus, quam uenditiones mirum in modum turbare. Obtinet hic retractus uicinitatis etiam hodie e. g. in den Hamburgischen Ochsen und Billwerder, docente Art. LXI. des Landrechts: „Welcke von Eme verkopen will, de schall „id vorhero Vader und Moder und den nächsten Freinden, und „den Nabern da he up Watert ankündigen,, (x) in Batauia teste GROTIo, (y) in ciuitate Slesuicensi, in cuius probationem adiungo documentum ineditum, quod optimi Fau-

E 2

toris

(t) II. Fetud. 13.

(u) nisi de ea ex Statutis manifesto constat. HEINECCII E. I. G. lib. II. tit. 14. §. 413.

(x) cf. I. H. BÖHMER in diss. de retractu duplici Hamburgensi.

(y) in Introduc. ad I. Batau. p. 137.

toris Summe Venerandi DREYERI indulgentiae de-
beo.

**CONFIRMATIO STATUTI SLESVICENSIS IN
PVNCTO RETRACTVS VICINALIS**
d. 1648.

Wir von Gottes Gnaden FREDERICK
Erbe zu Norwegen ic. n.

Urkunden und bekennen hiemit für uns und unsere Nachkommen, daß was die Ehrsame, weise und liebe getreue Bürgermeister und Rath unserer Stadt Schleswig unterthänigst supplicando zu vernehmen gegeben, ob zwar von uns, nicht weniger als unsere Höchst und Hochlöbl. Christl. Königl. und Fürstl. Anherren und Vorfahren der Stadt privilegia Frey und Gerechtigkeit, ehrbare ländliche Statuta, Gebräuche und Gewohnheiten, gleich als wenn selbige von Worten inserirt, allerdings confirmirt, daß sie dennoch in kurz verwichener Zeit erfahren müssen, wie das von vielen Jahren consuetudine eingeführte ius retractus vicinalis in Streit gezogen, und ihnen Bürgermeister und Rath solche consuetudinem mit allen deren requisitis zu probiren aufgebürdet werden wollen, und obgleich vermittelst des den 3ten May von uns publicirten Urtheil angeregtes ius retractus vicinalis für gültig erkannt, Sie Bürgermeister und Rath zu Verhütung aller künftig weiter befogenden Streit mehr gemeldete consuetudinem iuris retractus vicinalis per sanctionem pragmaticam zu introduciren und zu confirmiren gehorcast gebeten; daß wir demnach solchem unterthänigsten Suchen gnädigst statt gehan, thun dasselbe auch hiemit, und in Kraft dieses, also und dergestalt, daß hinsüdhof oft mentionirtes ius retrac-

retractus vicinitatis in unser Stadt Schleswigh statt haben,
und jedweder Bürger und Einwohner praestititis praestandis frey
und unbenommen seyn, massen denn in allen Gerichten darnach
gehendelt werden soll. Uhrf. Gottorff. d. 24. Nou. 1648.

(L.S.)

FRIEDERICH.

In ciuitatibus quibusdam Lusatiae (z) aliisque terris. (aa)
At uis aliorum locorum statutis, ius retractus vicinalis
definientibus, ad Lubecam reuertamur. Ne, quid sentiam, dissi-
mulem, ius retractus vicinalis hic exulare, uel potius nondum
ualuisse uidetur. (bb) Me, qui id credam, paeprimis mo-
uet, quod quum anno superioris saeculi tertio ciuis, cuius e-
rat nomen ASMVS BOYE, desiderasset, ut quum, in uenden-
da BECKERIANA domo idem quod extraneus obtulisset
pretium, memorata domus ipsi adiudicaretur. Sed causa ce-
cidit, et lata est d. 14. April. sententia: „dass er zu fordern zu
„beweisen schuldig, dass das Näherrauss-Recht wegen der Nach-
„bahrhaft durch zu recht beständige Gewohnheit in Lübeck ein-
„geführt worden.“

Non uero heri demum aut nudius tertius in applican-
do iure retractus ex capite vicinitatis quaesito mota est, quis
inter plures vicinos retrahere volentes sit potior. Respon-

E 3 der

(z) I. G. MÜLLER in dissert. de retractu ex vicinitate etc. Erfurd.
1713.

(aa) uid. MASCOV in notitia iuris Brunsuicensis pag. 131. 136.
147. 149. 153.

(bb) Contrarium sententiam fouet Illustr. ESTOR in der teutschen
Rechtsgelehrtheit P. II. §. 428.



deri ut plurimum solet, eum praferendum esse, cui maius incommodum creari possit ab extraneo emtore. Sed quia ius retractus ob vicinitatem competens est instituti Iuris Germanici particularis, nihil meo quidem iudicio uniuersale hac de re definiri potest; respiciendum potius, si curate ad proposi-
tam quaestionem respondere uelis, ad legem particularem et consuetudinem. Ita alibi sufficit retrahentem proximum ui-
cinum esse: (cc) alibi, ut in Ciuitate Stadeni, praefertur ui-
cinus, a dexteris constitutus, ei qui a finistris habitat. In di-
tionibus eidem adiacentibus, quae nomine Wurflen sunt celebres, is, cuius domus iacent uerbus solis occatum, gaudet
praelationis iure. Caeterum si, quae forsan mihi hac de re
fit mens, nosse cupis, rem ita habeto. Scilicet si hac de re
silent iura particularia, ei, qui primum obtulit pretium,
praelationis ius attribuendum esse uidetur; res autem sorte erit
decidenda, si una eademque temporis periodo consensum de-
derint de re pro certo pretio sibimet ipsis assignanda.

Vt redeamus ad institutum, nec incongruum, nec ab eo alienum erit proposuisse principia generalia de notione et effectu vicinitatis, qua aedificiorum seruitutes legales Lube-
censes. Hic crederem totam rem, meo quidem iudicio, ad hasce quaestiones redire:

I. Quis sit hac in doctrina uicinus? Responderi quidem generaliter posset, eum priuatum pro uicino in hac materia haberi posse, cui seruitus aedificiorum legalis qua dominanti competit. At si curatiori opera rem considerare uelis, siue, quod omnino indubium est, uerum sit, in-
commo-

(cc) HEINECCII E. I. G. lib. II. tit. XIV. §. 413.

commodum auertendum, quod certo euenturum esset priuatis, nisi constituta esset seruitus, constituere rationem harum seruitutum legalium, per §. XIV. adfirmandum erit, eum instar vicini in haec doctrina habendum esse, cui immineat damnum et incommodum, ob quod seruitus legalis introducta est.

II. Vtrum dominus tantum aedium vicinarum, an vero etiam is, qui iure reali in aedibus vicinis gaudet, veluti usufructuarius, pro vicino habendus sit? Crederem ego, omnibus iis, quibus ius reale est in aedibus vicinis, et quibus ob naturam vicinitatis incommodum, quod statuto notatum, metuendum est, ius vicinorum quoque competere deberet. (d d)

III. Quales vicini inhabitatores intelligantur? collaterales tantum, an etiam hi, qui e regione habitant? contigui tantum, an uero etiam remotiores? Videndum hic esse censeo, an incommodum scilicet, quod causam seruitutis constituit, contiguos tantum et proximos collaterales tangere possit; et tunc hi tantum instar vicinorum et dominantium hac in seruitute uenient: si uero incommodum istud, in quo causam seruitutis conspicis, etiam hi, qui e regione uiuunt et remotiores sunt, sentiunt, tunc, ut ego quidem arbitror, omnes ii inhabitatores pro vicinis habentur, quatenus incommodum, strepitus, periculum, foetor aut malus odor iis molestiam creare queat. Id ipsum uero inspectioni oculari aequa, ac peritorum iudicio, a iudice est relinquendum.

IV. Num vicini proximioris consensu in remissione iuris, ex seruitute legali quaesiti, remoueat dissensum vicini remotoris?

(d d) STEIN in der Abhandlung des Lübischen Rechts T. III. §. 23.

¶ ¶ ¶

tioris? Decisio huius quaestione ab hac distinctione adhibenda dependet: aut enim remotior uicinus incommodum quod forsan sentit docere potest, aut non potest: illo casu non fieri potest, ut uicini proximioris consensu remoueat dissensum remotioris, hoc uero concedi potest. Ita si in domo cuiusdam opificium magno et uix tolerabili cum strepitu coniunctum exerceatur, uicino altero non refragante, sed consentiente potius; nihilominus uicinus succedaneus non erit obstrictus, ut, si ex hocce strepitu molestia ipsi excitetur, et sic negotiorum circuli turbentur, id gratum habeat acceptumque; quoniam priuatus renunciatione sui iuris efficere non potest, ut alterius ius quaeſitum amittatur. (ee)

§. XVI.

DE AEDIFICANDI RATIONE EX IVRE LV- BECENSI GENERATIM.

Si in ullo umquam iuris articulo prudentiam eorum, qui legibus patriam nostram ornarunt, suspicere debemus, certe id fieri debet, si curationi cura dispositionem de aedificiis recens exstruendis agentem intueamur. Querelae enim, quas singulis fere diebus ob laesionem ex aedibus nouiter exstruendis moueri contingit, imo et lites exinde oriundae cessare iubentur. Ut uero maiori certitudine limites eiusmodi querimonii ponerentur, nec quis doleret, sibi in suo esse ablatum, quod sibi debetur; multa cum cura dicam, an sapientia dispositum, ut prius, quam nouum opus exstrueretur, conuocarentur tam fabrorum lignariorum

quam

(ee) In omni enim renunciatione ius tertii censetur exceptum, quod semper reservatum intelligitur. C 13. de praebend. in 6. C 8. de rescript. in 6. l. 40. D. de administr. tutorum.

quam caementiariorum seniores. (a) Iurare autem, non aliam ob causam ius Patrium id adposuisse, quam ut sic omnes lites praescinderentur. Quid? quod articulus noster approbare uidetur illud notum, quod scilicet unicuique in sua arte perito fides sit adhibenda. Sicuti autem illi cumprimis in sua arte inclarescere uidentur, quos senium et aetas ingrauescens reddidit uenerabiles; ita et ius nostrum non alios quam hos admittit, ut scilicet non spreto eorum iudicio sed accedente potius consensu nouum incipiatur opus. Tametsi uero toties saltim probatio ordinarie per peritos in arte adhiberi solet, quoties res controuersa ex regulis a iure suppeditatis nec decidi nec probari potest, (b) in eo tamen extencionem a iure nostro factam deprehendes, quod toties in aedificiis recens condendis artifices adhiberi debeant, quoties periculum est, ne leges de aedificiis agentes obseruentur. Innuunt id uerba Articuli III. „darbey allezeit die Aelsterleute der Zim- „mer- und Mauerleute sollen erforderet werden, damit dem nicht „zuwider gehandelt.“ Opinor autem, Seniores, quorum iuris nostri dispositio meminit, teneri obstrictos, qui testimonium non de credulitate, quam ueritate potius ferant. (c) Hoc ut afferere nullus dubitem, eo in primis moueor, quod architectura et arithmeticā item mensura prae aliis artibus id praeципuum habet, ut determinate sciri earumque peritia secundum certas regulas acquiri, et oculata sive cognosci atque intelligi possit. At quem iuris Lubecensis dispositio non me-

F

moret

(a) uid. Ius Lub. lib. III. tit. XII. a. 3.

(b) E. PUFFENDORFF Introduc. in Process. ciuil. Electoratus Brunsvico Luneburgici p. III. c. 10.

(c) cf. FULVII PACIANI Tr. de probationibus lib. I. cap. 17.

moret iurisiurandi religionem, non heri demum aut nudius tertius in foro agitari solita est quaestio, an prius seniores, quam de re ipsorum iudicio exhibita ferant iudicium, obstricti teneantur iuramentum praestare? Ut quaestionem hanc negandam esse statuam, me id cumprimis mouet, quod seniores non modo, quum inscribunt nomina tabulis ciuitum, iure iurando promittunt utilitatem ciuitatis promouendam et praestandam obedientiam, (d) sed quod denuo in munera iamiam suscipiendi primordiis praestant iuriurandum. Non uero cessare quinvis fatebitur huius iuramenti obligationem, quum, ad quod euecti sunt, munus ipsis ademtum haud sit. Imo, ne quid, quod sentiam, taceam, obligatio ipsorum, quam AMPLISSIMVS MAGISTRATVS aequa ac RESPVBLICA ab ipsis exspectat, augetur, si tamquam peritissimi e gremio collegii ad ampliores gradus sustinendos euocantur, si praefidum totius collegii ipsorum curae demandatur, si tandem de re ipsorum iudicio exhibita ita iudicare iubentur, non prout huius illiusque fauor, sed potius, prout religio fuggerit, et artis, quam profitentur, regulae exposcunt. At ne desit regula, quae describat non minus modum in aedificiis obseruandum, quam indicet, quid auertendum sit; uult Ius Patrium, ne aedificatur excedat suum solum, sed in suo potius fundo aedificet. Innuunt id uerba eiusdem Art. III. „Wer bauen, „will, der soll auf seinen Grund und Boden bleiben.“ Qua ratione, etiamsi Ius Patrium rata habeat et sibi accepta iuris Romani principia, quae liberam cuique in re propria indulgent disponendi facultatem; (e) attamen idem illud prescribit

(d) uid. MENCKENII diff. de Juramento Ciuitum.

(e) §. fin. I. de his, qui sui vel alieni iuris. l. 21. C. mandati.

scribit limites non transgrediebantur. Quum enim in eo legatur „und sein Fundament also legen und fassen, daß es seine Nachbaren nicht zu nahe sey und keinen Schaden oder Nachtheil zufüge,“ sane quiuis fatebitur aedificaturi esse, ut caueat, ne ex fundamentis ponendis alter incommodi quid aut damni sentiat. Idem et Art. VII. iubet, ut aedificatorius sic in suo extrui curet, ut nihil in vicini fundum transferat, nec alia ratione ei noceat. Non incongrue uero hic M E V I V S (f) disputat, cuius uerba citasse iuvat: quod si forsan, inquit, aliqua ratione cum modico vicinorum incommodo sustineri possit aedificium non obstante statuto pro eo pronunciandum sit, quippe quod aedificia iuris gentium (g) sint, et cuius in suo libera et non censeatur eum dananum facere, qui suo utitur iure. Ne tiero elideretur a maleferiatis dicta iuris dispositio, ac ne quis, ea despiciat habita, audeat aedificium extruere in alterius incommodum uergens; iubet, ut si quis ob neglectam iuris dispositionem in iudicium uocatus accusatusque et delicti conuictus fuerit aedificium demoliri et in pristinum statum restituere cogatur. Verba Articuli VII. quae id iubent, ita sonant: „Wird darüber geflagt und also beschieden, so muß er dasselbe Gebäude wiederum niederbrechen und in vorigen Stand bringen.“ Summae in republica potestatis esse opinor, legibus prospicere non modo, ut omnis deformitas urbis ex angustiis flexurisque vicorum urbis enitetur, et in domibus extruendis uenustratis ratio habeatur, sed ut etiam eadem illae non uergant in aliorum incommodis, imo ut, ne urbs per incendia detur ruinis,

F 2

aedi-

(f) in Comment. ad I. L. lib. III. tit. XII. art. 7.

(g) l. 5. D. de I. e. I.



aedificia, si fieri possit, exstruantur faxea, tollanturque tecta straminea et scandalarum. (h) Sane et in eo mirari debemus legislatorum Lubecensium sapientiam, qui et in eo curam suam adhibuere, et ad auertenda incendiorum pericula sanxerunt, ut quaevis aedificia tam uersus plateam, quam aream ex fundamento usque ad fastigium lapide et caemento construantur: item plane prohibitum est parietes ex limo cum intermixto ligno conficere Art. IX. Quis uero non uidet speciem seruitutis legalis publicae. Rationem huius legis prohibitiuae et in ornatu urbis promouendo, et in ignis periculo auertendo, quae siuerim, maxime quum experientia unumquemque doceat, non ornatum urbium modo mirum in modum augeri, si ubicunque oculos uerteris, deprehendere liceat domos faxo duro exstructas, sed etiam periculum hoc modo esse, ne urbs flamma erumpente ruinis detur; quum alias, si domus quamplurimae ex lignis praecipue confectae sunt, uehementissimi incendiorum casus ueniant, quae parua coorta fauilla integras urbes haurire nonnumquam, saepe uel florentissimas affligere pessime et deformare solent, maxime si incident turbines, qui flammae incident impetum, aut interueniant alia, quae uehant fomitem longius latiusque dispergant. Quare ipso iure obligatus obstrictusque tenetur dominus seruens, qui est aedificans, ut non negligrat adimplere rationem reipublicae prosperam. Nec quaeritur amplius, is ne consenserit, an uero non? Et huiusc generis species aedificandi rebus suis fit conueniens, nec ne? Certe enim, quum albo ciuium inscribat nomen, simulque obedientiam MAGISTRATVI et ciuitati religione

(h) vid. B. HEVMANNI initia iuris politiae German. §. CLXIII.

religione iurisiurandi promittat, quumque obediens is prae-
primis censendus sit, qui suas actiones legibus non minus
ac consuetudinibus attemperet; sane perspicies rationem,
ob quam ciues, uti generatim secundum legum normam
uitam uiuere sint obstricti, ita iidem eo magis obli-
gati teneantur aedificia iuxta legum mentem exstruere
i. e. ne ex illis alma Patria deformitatem capiat, aut noxio-
rum incendiorum uis metuenda sit. At enim uero, quo
certius est securitatem publicam, qua omnium salus con-
tinetur, etiam priuatorum utilitatibus esse anteponendam: (i)
eo minus dubii superest, libertatem aedicandi et Iure Pa-
trio Art. IX. restringi, et in reipublicae fauorem adeo, ut
opus exstruendum nec laedat commoditatem reipublicae nec
securitatem minuat: id quod, ni fallor, accideret, si aedi-
ficiorum genus iure prohibitum eligeret, licet caeterum
rebus suis id conueniret. Sicuti uero quis ea obseruare non
tenetur, quae fieri nequeant, et lex circa ea modo dispo-
nit, quae fieri possint: imo sicuti id, quod uitium imbe-
cillitas prohibet, non est contra leges; ita etiam il, quibus
est curta supellex, quorumque patrimonium pretiosorum
aedificiorum exstructionem non permittit, quandoque sup-
plicibus precibus MAGISTRATVM adire, ab eoque, cui
competit ius dispensandi contra seruitutes legales publi-
cas, dispensationem contra hanc seruitutem petere possunt,
quae uero, demonstrata huius petitionis cauſa impulsua, ha-
bitaque rei cognitione, ab AMPLISSIMO MAGISTRATV
aut denegari aut concedi potest. (k)

F 3

Oculis

(i) uid. Excellentiss. et Consultissimi HOEFLERI iam supra alle-
gotam Commentationem de primis et genuinis LL. fontibus
pag. 35.

(k) uid. MEVIVS ad I. L. P. III. Tit. 12. Artic. 9.

Oculis uero nostris et alia obuenit seruitus legalis. Verba enim Articuli nostri IX. „Darzu sollen die Gebäude „, dermassen der Gelegenheit nach angestellet werden, daß man „, dabei Privet und Heimlichkeiten anrichten kan „, talem et quidem publicam inuoluere uidentur. Saltim id exinde colligi potest, quod non modo uerba praecedentia Articuli IX. uersantur circa ea, quae respiciunt conseruationem salutis publicae, sequentia autem de receptaculis excrementorum cum praecedentibus una eademque serie posita conspi ciuntur, sed quod Articulus etiam uicinorum nullam iniicit mentionem. Accedit et ratio huius seruitutis, quam facillime poteris cognoscere. Reipublicae enim interest, ut ciues non tantum diu uiuant, sed et iam quo ad uiuant, beata fruantur ualeudine: quo prosperior enim quis uiuit, eo maiora commoda aequa ac officia Reipublicae causa sustinere potest. Immo statutum nostrum pertinet ad salubritatem et tutelam ciuitatis, et ratio eius, ni fallor, ea est, ne per effusionem et deiectionem excrementorum aer corrumptatur, nec coelum pestilens, aut ruinae ciuibus minentur. (l) Quum igitur et haec dispositio concernat solum publicam salutem, mirum non est, etiam adhuc MAGISTRATVI competere debere, qui contra hanc seruitutem Reipublicae debitam dispensare potest. (m)

§. XVII.

DE AEDIFICATIONE AD AEMULATIONEM
SECUNDVM IUS LVBECENSE.

Aedificationis ad aemulationem indolem tenui penicillo

(l) vid. MEVIVS ad I. L. I. c. Art. 10. L. L. STEIN in der Abhandlung des Lütschen Rechts P. III. §. 233.

(m) STEIN l. c.

cillo §. XII. adumbrauimus. Ordinis ratio postulat, ut paulo penitus consideremus illius naturam delineatam secundum iuris Lubecensis naturam. Omnes quidem norunt, inter effectus dominii praecipuos eum etiam primarium esse, ut liberum cuique competit de rebus suis disponendi arbitrium. Proinde uero et naturali ratione quiuis poterit pro suo libitu aedificare in suo, (a) neque id minus, etiam inde in alterum incommodi quid aut damni perueniat. (b) At enim uero, ne sub arbitrio, quod unicuique in resua competere debet, malitiis indulgeatur, aut alter alteri noceat, haec ipsa facultas aedificandi in suo modis diuersis ac terminis potest coerceri. Id factum iam esse in iure Lubecensi uidemus. Id enim cuiuscunque rei usum eatenus restringit, ut nemo sub praetextu libertatis alteri documento sit, nec damnum committat, seu alteri cum iniuria id auferat in suo, (c) quod suum est. Itaque diserte prohibet Ius Patrium, non uno sed pluribus locis, temerarium illum aedificandi modum, quo quis absque propriae utilitatis augmento tamen ita aedificet, ut damnum inde emergat uicino. (d) Nec dispositio iuris ciuilis poterit urgeri, ni cuius cuiilibet liberum est in suo aedificia ad coelum usque tollendi, (e) etiam si alteri aedificium no-

ceat.

- (a) uid. I. 24. de S. P. V. I. §. et 9. C. de Seruit. et Aqu. GAILIVS II. Obs. 69. STRYCK de Iure Aemulat. l. 2. pag. 40. seq.
STRVV de Aedificiis priuat. Th. 32.34. F. E. RIESE de re-stricta aedificandi libertate prol. §. 1.
- (b) uid. BRVNNEMANN in Comment. ad leg. 24. de damno in-fecto.
- (c) MEVIVE ad Ius Lubecense P. III. Tit. XII. Art. 7.
- (d) uid Statuta Lubecensia P. III. Tit. XII. Art. 3. et 7.
- (e) I. 8. et 9. C. de Seruit. et Aqu.

ceat. (f) Ut enim non urgeam, et ipsos Romanos formam
in aedificiis extruendis adhibendam proposuisse, id saltem
moneo, iure Romano non esse permisum, ut quis aedifi-
cat contra formam et modum, si quis lege statuto uel con-
suetudine obseruetur, (g) nec contra seruitutem constitu-
tam, (h) nec ad aemulationem, seu eo tantum fine, ut alteri
noceamus. (i) Existimo autem, nos vicino nocere, quan-
do alteri uel ratione proprietatis, uel seruitutis, uel legis,
uel libertatis, uel securitatis tantum, ius suum ita auferimus, ut
quod habuimus ius quaesitum minuatur. (k) Eodem etiam cum
MEVIO referendum puto, si quis aedificaturus in suo sine utili-
tate quadam percipienda, aut exspectando commodo, aedi-
ficium ita extruendum curat, ut in vicinum damni quid inde
suboriatur. At intercedere iam video, sibique locum expo-
scere Tit. XII. Art. VII. Iuris Patrii, qui id, quod asserimus,
mirum in modum illustrat, cuius verba sermone authentico
apposuisse e re erit. Ita sonant: „Wer bauen will, der soll
„solch sein Gebäude anstellen, daß er seinen Nachbar nicht zu
„nahe, und Schaden bue, wird darüber geflagt, und also be-
„funden, so muß er dasselbige Gebäude wiederum niederbrechen,
„und im vorigen Stand bringen.“ Fallor uero, aut ob allata
legis citatae uerba aedificans ad aemulationem iudicialiter
quoque poterit conueniri. Etenim prohibet hoc statutum, ne
quis

(f) l. 9. de S. P. V. l. 26. de damno infecto.

(g) l. u. pr. de S. P. V. l. 12. C. de Aedificiis priuatorum. l. 6. C.
de Seru,

(h) l. 9. de S. P. V. l. 8. C. de Seru.

(i) l. 3. de Operib. publ. Nou. 63. Cap. I.

(k) MEVIVS ad l. L. l. c.

quis ad alterius damnum aedificium exstruendum curet. Accedit, quod et ipsa legis dispositio detegat media, quibus utendum, quum aedificium quis cum alterius iniuria exstruere ausus fuerit. In memoratorum mediorum classem referenda est demolitio aequa ac restitutio in statum priorem. Absit uero, ut statuamus, eum etiam, qui uel leuidense damnum incommodum ex aedibus recens exstructis sentiat, ad articulum nostrum tanquam sacram anchoram confugere posse. Nam, meo quidem arbitrio, naturali in suo aedificandi libertati limites eatenus tantum in nostro statuto ponuntur, quatenus in malitia degenerat, ingensque damnum secum trahit. Non alios ergo statuti nostri tenor coercet, ac aedificantes iniuriosos. Sicuti uero is iniuriam committere non uidetur, qui suo utitur iure, etiamfi uero iurium exercitio in alterius aedibus adiacentibus noceat, (1) ita contra iniuriam inferre censendus est, qui aedificium exstruere animo gestit, non obseruata lege, consuetudine, pacto eius generis ausibus contrario. Quoties ergo probari potest, aliquem tale aedificium ad aemulationem exstruendum curasse, toties laesum statuti nostri dispositio indefensum non relinquit. Id quod et tunc, ut ego quidem arbitror, obtinebit, si aedificium recens conditum aedificantis nec commoditatem, nec utilitatem promouet, alter uero, cuius aedes circumiacent, damnum uix dicendum, detrimentumque inde sentit. At si id, quod accidit, obscurum quadammodo et incertum esse uidetur; tunc cessante legis dispositione expressa, tota res redit ad interpretationem. Putarem uero, non aliam admittendam tunc esse in-

G. C. in omnibus ab illis de interpre-

(1) l. 24. ff. de damno infecto.

terpretationem, atque illam, quae in I Ctorum scholis strictiusa dici solet. Mouet me, ut id statuam, vulgare illud, quod omnis conuentio, hinc et statutum, a Iure Naturali exorbitans stricti iuris sit. Quae quum ita sint, inde tamquam e perenni fonte fluere existimo, damnum non nisi in imaginationis sensus incurrens, seu lucrum cessans, ueluti prospectum aediibus positum impeditum, Articulo nostro non contineri, et secus facientem securum esse aduersus actiones, quibus alter eum conuenire uelit. Etenim norunt omnes, ex praeclusione pariter ac ex admitione lucri et commodi non oriri (m) actionem. Accedit et hoc, quod is damnum facere non uideatur, qui eo ueluti lucro, quo ad hunc usque diem utebatur, uti prohibetur, multumque insuper circa actionem interfit, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur. (n) Et quemadmodum, ne quis alteri noceat, intercedit ius illud, quod non didicimus, sed quod a natura hausimus, ita idem illud non iniungit, ut quis alteri cum sua laefione incommodoue prospicit. Quid? quod, si uirum, dum uiueret, magnum inter Philosophos L. BAR. WOLFFIVM(o) audire non poenitet, uincit officium, quod quis sibi debet, ea, quae alii a quopiam expectant, si nempe adest horum officiorum collisiō. Eodem etiam tendit ratio, quam protulit uir, dum uiueret, ILLVSTRISS. DE LVDOLFF: (p) toties nempe, quoties proprium commodum et utilitas aliorum

collisiō.

(m) I. 21. ff. de Aqu. plur. arc.

(n) I. 26. ff. de damno infecto.

(o) in Institutionib. Iur. Nat. et Gentium P. I. C. II. §. 64.

(p) Obs. For. 13. l. 1.

collidunt, prius posteriori anteponendum esse, licet lucro aliquo vicinus priuetur. Ni aenigmata me nectere credas; omnis, meo quidem iudicio, quaestio de damno, cui obest iuris Patrii dispositio, eo redire uidetur, utrum directo, an indirecto per aedes recens condendas damnum inferatur alteri? Si illud; est, ut quis statuti auxilium imploret: si hoc; omne ei subsidium ex statuto oriens denegandum. Quippe expeditum est, quod res nostras meliores reddere possimus, etiam cum vicini incommodo, modo nocendi animus seu accumulatione probari nequeat. Tunc uero praesumitur quis facere ut noceat, quando aedificans aut plane nullam, aut non nisi parvam ex aedificatione sentit utilitatem. (q) Et scimus hunc in modum in ipsa Patriae curia pronunciatum esse, controuerchia hac de re inter I. N. St. et A. R. mota. In iungit quidem L. I. Art. i. Tit. de aedificiis priuatorum iis, qui aut aedificium in plateis antea non obuium, aut uetus de structum extruere uolunt, ut non ultra pristinos domus limites structuram euehant, extendant, ne scilicet urbs aedificiis deformetur, et spatia platearum diminuantur. Sed quum ex hac dispositione prohibens quoque intentionem suam inuestigare uellet, euentu minus prospero haec obiectio obmouebatur. Priuato enim non competit, ut iudicet, quid circa materiam in Articulo I. propositam iustum aut iniustum sit, sed haec dispositio conseruationem publici commodi respicit, et eius diiudicatio merito ad AMPLISSIMVM SENATORVM, qui est curator salutis publicae, deuoluitur, quia interesse priuatorum non concernit, an urbs deformetur, aut spatia

G 2

(q) CAPPOLLA in Tr. de Seruitib. Urbanorum Praediorum.

Cap. 39.



platearum diminuantur. Nec in memorata causa aedificanti aemulatio, seu animus nocendi, opponi poterat, quia deerant ea requisita, sine quibus non dici potest, aedificare aedificationem ad aemulationem; partim quia aedificans utilitatem ex aedificatione habebat, et aedificatio ad promouendam uitiae comoditatem suscipiebatur, partim, quia damnum, de quo querebatur, in ablatione prospectus tantum, et ita in ademptione lucri seu potius voluptatis, confiscebatur, quod tamen in hac materia pro damno haberri non potest. Et hisce rationibus perspectis **AMPLISSIMVS SENATVS** in memorata causa sic iudicauit:

Auf Suppliciren I. N. St. und erfolgte Gegen-Suppli- ciren A. R. die von erstern intendirte Erweiter- und Ver- breitung eine hinter der Canzeley gelegene Gewandt-Bude betreffend, hat E. Hochweiser Rath nach eingenommener Relation der Herren des Bauhofs, und sonst abgestatte- ter Relation ex actis decretirt.

Dass Supplicant den intendirten Bau vorzunehmen wohl berechtigt, und Supplicatus denselben darinn zu hin- dern nicht befugt sey; es hat aber jedoch Supplicant der Auflistung einer gallerie auf den Schauer sich zu enthalten.

S. XVIII.

DE AEDIFICATIONE IN RE COMMUNI.

Quum uero sociorum aequum ius sit, aequalis utilitas, una eademque causa damni et lucri, quumque sociorum par sit conditio in re communi, et prohibentis causa potior in re

re pari, (a) sapienter quoque Conditores Iuris Patrii statuunt, quod nemini licet socio in re communi sine consensu reliquorum condominorum aliquid aedificare aut reficere. Verba legalia Articuli II. ita sonant: „Bauet oder bessert je- „mand etwas auf gemeiner Erben Grunde, das Gebäude bleibt „den gemeinen Erben, es könnte denn erwiesen werden, daß es „mit gemeiner Erben Willen geschehen, oder daß es auch sonst „nothwendige Gebäude wären, welche dem Erbe zu gute „kommen, so werden ihme von gemeinen Erben die Baukosten „billig bezahlet. „ Delineata sunt in hoc Articulo iura, quae socio aduersus alterum socium competunt. Etenim sicuti inter omnes constat, causam propriam uel ex eo cognosci, si eius emolumentum uel incommodum ad aliquem suo nomine (b) spectat: ita ubi res communes proprietate pluribus competunt, consentientibus illis, quorum interest, demum in illa re aliquid suscipere licet. Suadet id iam illa Iuris Naturalis regula, quod nempe ea, quae uni iusta sunt, et alteri iusta esse debeant. Hoc praeprimis Iuris aequissimi axiomate moti legum Patriarum Conditores sapienter censuerunt, aedificia in re communi exstrui tum demum posse, 1) si condominis id gratum fuerit acceptumque, daß es mit gemeiner Erben Willen geschehen, aut 2) si impensa sit necessaria atque communioni utilis, oder daß es auch sonst nothwendige Gebäude wären, welche dem Erbe zu gute kommen. Quod enim necessitas et utilitas uera exigit, socius prohibere, pariter ac usum, ad quem res destinata est, intercipere nequit. (c)

G 3

Qua-

(a) I. 28. D. comm. divid.

(b) I. 1. §. 11. ff. quando appelland sit.

(c) I. 12. D. commun. divid. Vid. LUDOVICUS in doctrina Pand. cit. Tit. §. 3.

Quapropter si singamus mente domum ruinosam caducam-
que, si insuper consensum dominorum in domo tali reficien-
da necessarium nobis deneget uel ipsorum absentia, uel, ut
alia taceam, auaritia; putarem, refectionem istiusmodi dom-
us suscipi posse, consensu caeterorum condonatorum non
praesenti, aut plane denegato. Ratio autem non contemnenda,
quae me, ut id statuam, mouet, eoredit, quod socii
omnino interfit, aedes, quarum ruina et suo periculo est ex
testimonio peritorum in arte metuenda, vindicare ab interitu.
Quippe multo melius est, praeuenire, quam post vulneratam
causam quaerere remedium. Poterit eandem ob
causam praemiis operariorū excitare industriam, ut ne negligentes
sint in exstruenda re communi, quippe alias tempus
aedificationibus aptum facile posset praeterlabi: poterit
insuper, ut ego quidem arbitror, repetere expensas. Ne-
mo enim tenetur facere conditionem alterius meliorem et
quidem cum sua laefione damnegn. (d) Poterit tandem ex-
pensas, si forte denegatae fuerint, caeteraque impensa in re
communi facta actione quadam eo maiori iure repetere, quo
certius est, non tantum nulli licere sibi priuata auctoritate
ius dicere, sed etiam in communionem non minus
commodum redundare, si, quarum ruina metuenda, aedes
communes reficiendas curauit unus ex condonatis, tunc
auertit damnum, quod alias omnes ex ruinosis aedibus fuissent
facturi. Certe id uolunt uerba, „ oder daß es auch sonst
„ nothwendige Gebäude wären, welche dem Erbe zu gute kom-
„ men, so werden ihm von gemeinen Erben die Baukosten billig
„ bezahlt. „ Secus uero res erit, si nec necessarias, nec
utiles

(d) *argum.* l. 15. ff. *Praescr. uerbis.*

35

utiles rei communi fecerit impensas, consensu caeterorum
condominorum non requisito, tunc potius quidquid aedi-
fatum in re communi est, aedificatum commune fit ut Ar-
tic. II. Adhuc autem est obseruandum, 1) etiam Iure Lubecensi
acefforium hoc casu sequi suum principale, (e) et Ordinatio
Articuli 2) obtinet, siue aedificans sciuenter rem esse commu-
nem siue nesciuerit, (f) 3) siue aedificans in bona fide siue
in mala fide fuerit, (g) quamvis adducente STEINIO, quo-
ad restitutionem impensarum ad integratatem fidei ratio adhi-
benda; 4) siue aedificatum facile dissolui possit uel non pos-
fit, (h) adhibita tamen in casu praestantioris aedificii aequi-
tate. (i) Quod adhuc restitutionem impensarum attinet,
scimus Articulum II. ordinare, ut quidquid impensum fu-
erit in re communi, toties restituatur, quoties constet,
aedificium aut cum consensu condominorum exstru-
ctum, aut necessarium fuisse. Hic autem tenendum, in ca-
su restitutionis impensarum non modo necessarias sed et uti-
les intra modum factas restitui debere. (k) Caeterum hanc
dispositionem Artic. II. etiam ad aedificationem in solo plane
alieno trahi posse, iamiam accurate tradunt Viri circa Ius Pa-
trium meritissimi STEINIVS (l) et MEVIVS. (m)

§. XIX.

(e) STEIN in der Abhandlung des Lubischen Rechts P. III. §. 242.

(f) IDEM loc. cit. §. 242. not. *

(g) IDEM loc. cit. §. 242. not. **

(h) IDEM loc. cit. not. ***

(i) IDEM loc. cit. not. ****

(k) MEVIVS in Comment. ad I. L. P. III. Tit. XII. ad Artic. 2.
n. 7. 8. STEIN §. 242.

(l) I. c. §. 242. not. ****

(m) Artic. III. num. 1 - 8.

§. XIX.

DE AEDIFICATIONE VERSVS
PLATEAM. inuenio et si multo

Haec ipsa uero, quae de aedificatione in re communni protuli, me ad ducunt, ut pauca iam dicam de aedificatione uersus plateam. Mentionem illius iniicit Articulus I: Is uero praecipit, ut I. uersus plateam uetus aedificiorum forma seruetur: II. si qui secus quid suscepint, subiaceant tam poenae Senatus, quam III. demolitioni contra Statutum exstructi. Audias legem ipsam: „Wer von neuen etwas gegen die Strasse bauen will, der soll nicht weiter mit seinem Gebäude heraus rücken, denn es zuvor gewesen, sondern nach dem Schnur, auf die alte Form, und solches bey Strasse des Raths, und soll gleichwohl nicht destoweniger wieder einrücken.“ (a) Libertatem naturalem ciuium Lubecensium in fauorem Reipublicae restringi, clara Statuti verba innuunt; quapropter etiam, ni falli me dicas, hoc in Articulo reperiatur idea seruitutis legalis publicae: dico seruitutis, quippe libertas naturalis limites obtinet: legalis, quoniam haec restrictio fit tantum per legis dispositionem, etiam invito domino seruiente: publicae, quia fit in fauorem Reipublicae. Quum uero non alias huius Statuti finis fit, atque is, ne urbs aedificiis deformetur, aut ne spatia platearum angusta reddantur, facile perspicies rationem huius seruitutis legalis publicae esse, ut ornamentum urbis obtineatur. (b) Quoniam

(a) Haec dispositio praecipue tunc attendenda est, si praesertim noua frons domus exhibeatur. Frontem enim sive faciem in hac lege potissimum innuere uidentur verba: gegen die Strasse.

(b) MEVIVS ad I. L. P. III. Tit. XII. Artic. I. num. 5. STEIN loc. cit. §. 226.

niam vero constat, uicinis circa seruitutes legales publicas non competere ius prohibendi per §. XIV. ergo idem etiam de seruitute hoc in Articulo obuia dicendum erit. Accedit huic, quod Articulus I. ne unico quidem uerbo de con- et diffensu uicinorum aliquid significat, sed potius declarat, hanc dispositionem publicum commodum respicere, quandoquidem ei, penes quem est cura publici commodi, puta MAGISTRATU M AMPLISSIMO, potestas relinquitur, ut eos poena arbitaria coercere possit, qui contra Articuli I. dispositionem nouum aedificium exstruere audeant. Quamobrem unicuique priuato, prouocanti ad hunc Articulum, exceptio tua non interest, quae repellit omnem agentem, merito obstat; quo clarius est, solum MAGISTRATU M contra hunc Articulum dispensare posse, quia seruitus publica est, quae ad uicinorum interesse non spectat. (c) Quoniam autem lex naturalem libertatem restringens non est extendenda, sed potius restringenda, et Statutum nostrum solummodo de aedificatione uersus plateam loquitur, inde patet, quod a tergo aedium pro lubitu aedicari possit. (d) Quum porro lex faltem de aedificatione, qua positum et latitudinem, disponat, altius aedicare omnino licet. (e) Est autem secundum Articulum nostrum I. uetus aedificiorum forma seruanda: prisca autem aedium forma est ea, quae ab arte fuit, non quae uitio operis senescentis orta est, et illa ut obseruetur Ius Patrium iubet et ordinat. (f)

H

§. XX.

(c) STEIN §. 226. Conferas quoque ea, quae in fin. §. XVII. dicta sunt.

(d) MEVIVS ad I. L. lib. III. Tit. XII. Art. 1. n. 16.

(e) MEVIVS Art. 1. n. 17. 18. 19.

(f) Casum elegantem habet MEVIVS ad Art. 1. in addition. ad N. 4.

§. XX.

DE PARTIBVS ET ACCESSORIIS
AEDIFICIORVM.

Pro partibus et accessoriis aedificiorum habentur noui aditus et ingressus, seu viae vicinales, neue Gänge, nouae habitationes subterraneae, Wohnungen oder Wohnkeller, nouae fenestrae, nouae ianuae, noua proiecta, Schüre, et de his cauet Articulus XIII. uerbis: „Es mögen auch keine neuen Gänge, Wohnungen oder Wohnkeller, Fenster, Thüren, Schüren, da vormals keine gewesen, angerichtet werden, wie denn auch, keine Schorsteine oder Feuerstätten, da hiebevore keiner gestanden, ohne der Nachbarn Willen und Vergünstigung.“ (a) Libertati aedificandi, aut quid in suo faciendi, quae ex iure gentium omnibus competit, Lubecae sine dubio etiam hilce in casibus limites ponit uidemus in fauorem uicinorum. Quid uero? libertate naturali a lege in fauorem uicinorum restricta, ideam seruitutis legalis priuatae adesse, ex iis, quae dicta sunt, elucet. Si igitur prohibitionem Art. XIII. in uniuersum intueamur, rationes illius esse tam incommode uicino imminens, quam praesentem aemulacionem, egomet crediderim. Si dein uero uerba Articuli XIII.

con-

(a) Verbis fere iisdem disponit Reformat. FRANCO F. P. VIII. Tit. 7. §. 2. Stat. DRESD. c. 13. §. 15. Statuta MINDENS. Art. 13. Stat. HAMBVRGENSIA P. II. Tit. XX. Art. 8. Au den Ort, da keine Fenster zuvor gewesen, mögen ohne Bewilligung der Nachbarn keine gemacht werden. Statuta EIMEEGENSIA c. XVII art. 1. Stat. VERDENS. art. 89. Idt schall ock nemand Riffenster in eines andern Hoff machen, sündet ist scholen de Fenster so hoch von der Erden sin, dat ein Man damit der Hand nicht offslangen könne. Stat. DUNKELSPYHL Tit. XIV. §. 8.

considerare placet, uicinis quoque ius dispensandi contra hanc dispositionem relictum esse uidetur, quippe dubio caret, seruitutem priuatam hac in lege constitutam esse, uicinorumque insuper consensum aequae ac permissionem requiri. At enim uero saepe faepius contingere solet, ut iuribus iis concessis priuati non modo abutantur, uerum etiam ut consensum eorum uel iniudia ducti, uel alia nescio qua, iniusta saltim, causa denegent. Iniuste autem agentibus leges non praefstant suum auxilium. Inde fallere alios fallique non uideor, si contendere nullus dubito, et huncce Articulum non semper secundum nudum uerborum tenorem ualere posse, sed necessitatem potius efflagitare, ut aliquando a uerbis legis recedamus. Immo ne malitiis indulgeatur, ne quaevis quidem causa iultam praebere potest dissentendi facultatem, sed tunc tandem dissensus attendi potest, si conuenit cum generali principio, quod agnoscent Lubecenses, ui cuius tantum id aedificandi genus prohibitum est, quod tendit in alterius damnum detrimentumue. Nec est, quod obiicias, Articulum XIII. ne unico quidem uerbo damni mentionem inuicere, sed memorare tantum, in extirptionem quorundam accessiorum et partium aedificiorum consensum et permissionem uicinorum requirendam. Sane si huius legis uerba, prouti sonat, attendi debere ais, per eam non tantum, malitiis ut indulgeatur, metuendum est, sed quiuis fecus sentiens, quia contradicit, eius auctoritatem inuocabit, nec ulla habita ratione causae impulsuiae, contradictionem parabit, immo omnis fere potestas in meo faciendi, quid rebus meis conueniens sit, tunc arbitrio uicini mei relista et commissa esse uidebitur, quo quid tristius? Quum uero tales restrictionem libertatis naturalis leges nec agnoscant, nec agnoscere possint, eo minus



quoque in mente hæret dubium, dispositionem Articuli XIII. eatenus tantum attendi posse, quatenus dissentiens damnū, quod directe sentit, allegare et docere potest. Huius autem rei cognitio ad MAGISTRATVS AMPLISSIMI curam pertinet, qui ordinationes, de rebus ad politiam pertinentibus, ui muneris, quod gerit, mutare (a) potest. Hic autem Articulus XIII. non spectat ad reparationem ueterum aedificiorum, (b) nec ad amplificationem eorum, quae iam adfunt, (c) multo minus ad transmutationem innocuam. (d) Verba Articuli: da vormals keine gewesen, explicat MEVIVS. (e) Vicini autem hoc loco, docente MEVIO, (f) sunt contigui, uel saltim proximi et a latere iuncti tantum, quorum consensum expressum esse debere statuit MEVIVS. (g) Ego uero crederem, etiam tacitum sufficere, si modo de eo ex factis concludentibus constet. Quoniam uero hic Articulus XIII. tanquam lex singularis considerari merito potest, inde fluit, eum quoque ad non expressa extendi non posse. (h)

At etiam Articulus X. locum fibi hic dari exposcit:
Verba eius fermone authentico ita sonant: „Privat und
„Heim“

- (a) L. B. a WERNHER S. O. F. P. X. Obs. 390.
- (b) MEVIVS ad Art. 13. n. 21. Addit. ad n. 20.
- (c) IDEM ad Art. 13. n. 22.
- (d) IDEM ad Art. 13. n. 32. et Addit. ad N. 23.
- (e) ad Art. 13. n. 23. 28.
- (f) ad Art. 13. n. 30. 31.
- (g) ad Art. 13. n. 29.
- (h) MEVIVS Artic. 13. n. 32.

61

„Heimlichkeiten sollen den Kirchhöfen und Straßen näher nicht
„denn auf fünf, und seinen Nachbaren auf drei Fuß gebauet
„werden.“ Vides, per hanc dispositionem restringi liber-
tatem naturalem: haec autem seruitus legalis, qua ecclesi-
as et plateas spectat publica est, qua priuatorum uero aedificia,
priuata. Ratio eius praeter foetorem quaerenda est in da-
mno parietibus et aedificiis imminentibus, (i) quod certe pa-
ti deberent aedificia, nisi certum spatium aut distantia
a lege esset constituta. Hinc statuit Articulus, ut recepta-
cula exrementorum a coemeteriis et plateis publicis quin-
que pedes remota sint, a vicinis autem tres pedes. Pes,
qui alias dicitur ein Werkshuſe, longitudinem dimidiae ul-
nae habet, quamobrem latrinae a coemeteriis et plateis
duas ulnas et dimidiam, a vicinis autem unam ulnam et
dimidiam distare debent. (k)

§. XXI.

DE PARIETE COMMUNI.

Suadent uero dispositiones Articulorum IV. V. VI.
XIV., ut paulo curationi opera de pariete communi eiusque
uariis iuribus, secundum iuris nostri principia, agamus. Pa-
riemet autem omnem dicimus structuram, quae a solo in al-
tum surrexit. Quum uero illud omne commune sit, quod
ad plures pertinet, hinc paries quoque nobis communis est,
qui ad plures spectat. Talem communiter aedificant vicini;
(a) imo naturali ratione communis est paries, qui utriusque

H 3

domus

(i) uid. MEVIVS ad Artic. 10. n. 1. 2. 5. STEIN §. 233.

(k) MEVIVS ad I. Lub. Artic. 10. n. 2.

(a) l. 52. ff. pro socio.

domus onera gerit ac sustinet, et germanis appellatur eine gemeinschaftliche Wand, a quo differt eine Scheidewand, quippe qui aedes vicini ab ulterioris vicini aedibus aut fundo vacuo discernit, atque separat, in quo uero proprietas non est divisa, sed uni tantum competens. Non cogitandum, quod alius paries sit proprius, alias alienus, alias communis, alias tenuis, alias crassissimus, potior autem et praeципua diuisio huc redit, quod paries uel alteri proprius vicino tamen, quantum ad aspectum, communis sit, uel utrumque agnoscat dominum, et sic iterum communis sit, uel pro diuisio uel pro indiuiso. (b) Signa parietis communis explicite tradunt MEVIVS (c) et STEINIVS; (d) hoc saltem moneo, ex signis tandem communionem parietis probari posse, si 1) incognitum sit, quis uicinorum parietem extruxerit, nec 2) constet, quis illorum sit praferendus. Ita tigni immisso tanquam signum parietis communis haberi non potest, quando constat, talem immissionem etiam iure seruitutis fieri posse; immo si probatum est uero potius, tunc cessat praefumtio communionis. Accedit, quod ipsi possessioni multum tunc tribuendum sit, et cestantibus indiciis, quibus ad communionem seu ad proprietatem parietis concludi possit, uidendum, solus ne quis murum iure proprio possideat, an utriusque vicini simul: hoc casu pro communi haberi potest paries, priori non. Si uero neque signa communionis allegari possunt, neque possessio probari et murus inter duas domus aut hortos positus est, tunc paries pro ea

(b) MEVIVS ad I. Lub. Artic. 4. n. 3. 4.

(c) ad Artic. 4. addit. ad N. 2.

(d) in der Einleitung zum Lübschen Recht §. 239.

ea quoque parte singulorum esse debet, pro qua parte in fun-
do fuerat. (e)

Absoluta tractatione generali succedimus ad specia-
lia, quae circa parietem communem ex Iure Lubecensi
consideranda sunt. Primo huc pertinet Articulus XIV.:
 „Bauet einer in seinem Hofe einen Spieker oder Stall auf eine
 „Mauer, also, daß er seinen Trüppenfall über die Mauern hat;
 „will denn sein Nachbar darneben gleichhergestalt einen Spieker
 „bauen, so kann er den andern, welcher albereit seinen Spie-
 „ker stehen hat, nicht zwingen, mit ihm eine Mauer zu legen,
 „auch ihn seinen Trüppenfall zu nehmen. „ Quare vicinus ui-
 einum cogere non potest, ad exstruendum murum commu-
 nem, sed hoc potius cuiuscunque liberae uoluntati relictum
 est, uelutne eiusmodi communionem instituere, an non.
 Vti enim nemo inuitus cogi potest, ut in communione per-
 ficitat, (f) ita quoque in omni societate praefupponitur mu-
 tuus consensus. (g) Si uero communio inita est, et con-
 sensus interpositus, tunc sane non fieri potest, ut quis murum
 communem sine consensu vicinorum seu sociorum destruat
 ob Articuli VI. dispositionem: immo poenae iudicii, quod
 Ius Patrium uocabulo antiquo die Wette exprimit, contraue-
 nientes non tantum, sed etiam fabri lignarii et murarii, qui
 operam praefstant, subiacent. Audias uerba Articuli VI.:
 „Bricht jemand eine gemeine Mauer ohne Vorwissen seines
 „Nachbarn, so soll nicht allein, der sie bricht, sondern auch Zim-
 „mer- und Mauerleute, welche die Arbeit gethan, und dazu ge-
 „rathen

(e) l. 83. ff. pro socio.

(f) l. 4. §. r. l. 65. pr. pro socio. l. pen. C. comm. diuid.

(g) l. 32. ff. pro socio.

„rathen und geholfen haben, von der Wette ernstlich gestraft werden.“ „Et quum per talem destructionem deterior facta est conditio alterius socii, nihil sane aequius est, quam ut hic in pristinum statum restituatur. Quare talis socius contra Statutum tenorem agens suis etiam impensis restituere, obseruantem M E V I O, (h) murum tenetur. Ipsi autem fabri lignarii et murarii, meo quidem iudicio, multa cum restrictione iudicari debent. Existimo equidem, subire eos debere poenam iudicii, si inhibitio demolitionis per ministros publicos facta sit, eaque prohibitio ad aures eorum peruererit. Quodsi uero demolitio muri communis non tantum infcio socio inita sit, sed etiam ad finem usque perducta, putarem tunc quidem focium Statuto contravenientem poenas debere, caeterum intuitu eorum, qui operam praefliterunt, meo quidem iudicio, uaria prius esse attendenda, quam poena iis possit in sententia dictari. Fieri enim potest, ut destituti fuerint notitia communionis, et, si eam quoque habuerint, incognita tamen iis fuerint iura ex communi pariete profluenta. Quin existimo, aequitate iudicem adhuc moueri debere, (i) ut hos homines inter eos referat, qui sunt rerum forenium expertes, et in quos, quantum ad hoc caput, non cadere possit doli suspicio, quoniam Ius Statutarium nec scire debent, nec tenorem illius intelligere possunt.

Vicini, quibus secundum Ius Lubecense communis parietis exaedificatio incumbit, tenentur aequalibus sumtibus eam perficere Artic. IV. Quid? quod uni etiam sociorum

id

(h) ad I. Lub. Art. 6. n. 1.

(i) cf. l. 1. §. fin. de edend. l. 25. §. 1. ff. de probationib. l. 2. §. fin. ff. de iure fisci.

id permisum est, modo 1) id faciat propriis impensis, 2) a parte sui soli auf seiner Grund-Seiten, modo 3) vicino seu socio inde non noceatur. „Gebören ihre Zweien eine Mauer „auszuführen, das sollen sie thun auf gleichen Unkosten, will aber der eine höher oder länger führen, als der andere, das steht ihm frey, doch auf seine eigne Unkosten, und auf seiner Grund-Seiten, seinen Nachbaren ohne Schaden und Nachtheil.“ (k) Ita etiam secundum Articuli V. dispositionem uni sociorum indultum est, ut dissentiente altero socio inter vicinos communis paries eine gemeine Brand-Mauer estruiri possit; modo 1) appareat, structuram esse necessariam: 2) socius id faciat, quantum in communi et communis nomine opus est, quandoquidem constat, illud quod unus ex sociis expendit, non occasione societatis uel communionis, sed proprio nomine, non uenire in rationem communionis: (l) 3) constet insuper, socium seu vicinum murum communem una aedificare noluisse. Ut autem dissensus socii eo certius constet, disponit Articulus V. ut necessitatis denunciatio praecedat. Haec uero fieri debet ante annum per duos ciues fide dignos. (m) Hisce autem adhibitis requisitis, dissensus socii non impedit, quo minus exaedificatio domus ruinose communis fieri possit, potius rite ea perfici poterit, nec est, ut aedificans utatur actione pro socio uel communis diuidendo, quam Ius Lubecense uelit iubatque, ut ius muri, quod temere dissentiens antea habuit, post repudiatam denunciationem amittatur, et aedi-

I

ficans

(k) MEVIVS ad Ius Lub. Artic. 4. num. 13. 14. 15. 16. STEIN §.

237.

(l) I. 67. §. 1. pro socio. A. FAB. in Cod. lib. 4. Tit. 27. d. 1. CARPZ. P. 3. c. 15. d. 46.

(m) MEVIVS ad A. 5. n. 18. 23. STEIN §. 241.

ficans illud ad suos usus accommodare possit per verba:
 „Würde auch besunden, daß eine gemeine Brand-Mauer zwis-
 schen zweien Nachbaren nothwendig müßte gebauet werden, will
 „der eine bauen, der andere aber nicht, so ist derjenige, der sich
 „verweigert, seiner Mauer Gerechtigkeit verlustig, so ferne ers ihm
 „durch zwey besessene Bürger ein Jahr zuvor ankündigen lassen,
 „und der andere mag die Mauer wiederum aufführen, und zu sei-
 „nem Besten allein gebrauchen.“ Competit tamen aedificanti
 secundum Ius Lubecense, si malit potius suum consequi, quam
 dominium aedificati, ut, si uelit, loco huius poenae actione pro
 Socio impensas repetere possit. (n) Quoniam uero uoluntas
 hominum ambulatoria est, ei quoque subuenit statutum no-
 strum. Permissum enim est dissentienti ius pristinum re-
 cipere, si modo intra annum et diem dimidiam impensa-
 rum refundat, per uerba: „Würde er aber in Jahr und Da-
 gen seinen Nachbaren die halben Untosten wieder erstatten, so
 „hat er Macht, wiederum in seine alte Gerechtigkeit zu treten.“ Crederem uero cum STEINIO, (o) hoc non posse applicari
 ad casum, ubi pacto praecedenti totus murus cessus est so-
 cio aedificanti. Quodsi consentiunt uicini, aedificare
 se nelle, dissentiunt autem tantum in modo aedificandi socii,
 ita ut unus sic, alter aliter aedificare intendat; tunc docen-
 te MEVIO (p) is praferendus, qui magis utiliter et ido-
 nee refectionem conficiendam cupit, idque arbitrio Iudicis, qui
 peritorum consilia sequitur, relinquendum est.

Haec

- (n) MEVIO Art. 5. n. 25. STEIN §. 240.
 (o) §. 241.
 (p) ad I. Lub. loc. cit. n. 26.

Haec de pariete communis dixisse sufficiat. Sub finem Articuli V. additur brevis dispositio, quae ad limites distinguendos et distinguendas areas vicinorum spectat, et uerba legalia ita se habent: „Die gemeine Glinde aber der „Schedelmauren sind seine beide Nachbaren, so oft es die Noth „erfordert, zugleich aufzubauen schuldig.“ Vides igitur adhuc denunciationem praecedentem non requiri, (q) sed necesse potius esse, ut socii hanc exstructionem aequalibus sumtibus suscipiant. Quoniam uero hoc in casu in temere dissentientem neque poena neque amissio iuris statuta est, illius autem dissensus in casibus ubi necessitas adest, attendi non potest, ita vicinus etiam inuito altero exstructionem illius, quidquid ad limites distinguendos et distinguendas areas vicinorum habetur inchoare et finire potest. Vti uero iniustum esset, unum socium omne lucrum, et alterum omne damnum habere, (r) ita quoque aedificans actione pro socio impensas repetere potest, quas ex natura initiae societatis praestari oportet. (s)

§. XXII.

DE SERVITUTE CONSTITUTA PER AEDIFICIA NON VIOLANDA.

Domus seu (a) aedificium diuidi solet in mobile et immobile: mobile est, quod ita exstructum est, ut de loco in locum transferri queat. Sic Numidas refert PLINIVS, (b)

I 2

habu-

(q) STEIN §. 239.

(r) I. 29. §. 2. ff. pro socio.

(s) STEIN §. 240.

(a) I. 22. C. de administr. Tut.

(b) lib. V. Hist. Nat. Cap. 3.

habuisse domos portabiles, quas plaustris impositas circumulerint. Simile quid de Tartaris perhibent, eos easis eiusmodi, quas Horden vocant, uti, easque de loco in locum transferri solitos esse. Quum uero domuum appellatione tantum talia aedificia uenire soleant, quae terrae sunt affixa, dubito, an haec proprie domus dici possint. (c) Immobile uero aedificium est, quod salua sua substantia de loco in locum transferri non potest. Diuiduntur quoque aedificia ab usu, et quidem in prluata et publica. Haec sunt, quae publicis usibus sunt destinata. Ea uero destinatio fieri potest, uel ad usus sanctos, quo in Patria pertinent e. g. die Kirchen, Klöster, Schulen, Armen- und Waysenhäuser &c. uel profanos, quo referrem e. g. das Rathhaus, die Börse, das Zeughaus a liaque. Illa sunt, quae priuatorum usibus inseruiunt. Praeterea domus alia est libera, alia seruiens, prout domus aliqua in altera habet seruitutem constitutam, uel alteri debet seruitutem. Finis autem omnium aedificiorum, quae priuati exstruunt, est, ut priuati commode et quiete uitam uiuere possint. Nihil uero naturalius et aequius est, quam ut quisque in exstruendis nouis aedificiis ita se gerat, ne commoditatibus immo iuribus uicinorum noceatur: incommodum autem sentit uicinus, aut nocetur ei, si ius quod ei competit, quocunque etiam titulo id fiat, minuitur. Quoniam autem uicinis etiam uia seruitutis constitutae quaedam iura competere possunt, caendum erit, ne seruitutem, quae iis competit, per aedificia uiolentus. Et hoc pertinent dispositiones Articulorum VIII. et XIV. quarum uia quoconque aedificia ita sunt exstruenda, ne seruitutes uicino debitate minuantur aut uiio-

(c) argum. I. 18. ff. de act. emt. I. 10. ff. quod uia aut clam.

uiolentur. Postquam enim hae aut a natura, aut legum dispositione, aut hominum auctoritate constitutae sunt, sunt onus praedii, nec inuito eo, cui fundus debetur, tolli aut imminui possunt. Accedit et huic effectus, qui proprius est unicuique legitime constitutae seruituti, ut cuius non fieri debet, ut deterior reddatur conditio domini dominantis. (d) Ordinat igitur Art. VIII. cum quis stillicidium (e) cloacam (f) uel alia ratione domus suae, uersus uicini murum uel aream, constituta habet, ne huic alter aedificare permittatur, quam illis saluis minimeque imminutis, das der Truppenfall, Abzug und andere Gerechtigkeit und iura frey und unverkürzt bleiben. Vides igitur per uoces andere Gerechtigkeit und iura prohibitum quoque esse, ne quis aedificet contra seruitutem oneris ferendi, tigni immittendi, luminum, prospectus, aut quae sunt reliquae, quandoquidem etiam per harum uiolationem iura, quae iusto titulo quis possidet, imminui, immo et tolli possunt.

§. XXIII.

DE DESTINATIONE AEDIFICIORVM AD OPIFICIA INCOMMODA VEL PERICVLOSA.

Quum animus gestiat hoc in spho perlustrare materiam de destinatione aedificiorum ad opificia incommoda uel pericolosa, locum sibi uindicant dispositiones Articulorum XI. et XII. Placuit conditoribus Iuris Patrii li-

I 3

ber-

(d) L 14. ff. de S. P. R.

(e) MEVIVS ad I. Lub. loc. cit. Art. 8. n. 3.

(f) IDEM loc. cit. Art. 8. n. 4.

bertati aedificandi eos limites ponere, ut neque commo-
dum reipublicae et tranquillitas priuatorum simul, nec ho-
rum securitas tantum minueretur. Quod prius attinet, hic
repitere iuvat illam seruitutem legalem mixtam, cuius iam
supra §. XI. meminimus, puta dispositionem Articuli XI.
„Es sollen keine neuen gemeine Badstuben noch Backöfen ohne
„ausdrücklicher Bewilligung des Raths und der Nachbaren an-
„gelegt werden:“ Quapropter hae officinae non nisi expre-
so praecedente consensu Magistratus et vicinorum institui
possunt ob uerba legis ausdrückliche Bewilligung, nec tacitus
assensus, qui ex taciturnitate, qua per aliquod temporis
spatum structura toleratur, sufficit. (a) Dux uero condito-
res Iuris Patrii libertati aedificandi etiam limites posuisse in
fauorem priuatorum tantum, hinc necesse est, ut disposi-
tionem Articuli XII. paullo penitus intueamur. Lex autem
ita disponit: „Niemand soll von neuen Brau, Schmidt, Bö-
„pfer, Schimbäuser mit seiner Zugehörung antrichten, da vor
„keine gewesen, ohne seiner Nachbaren Willen: Item, Fisch-
„weicher, Tälligschmelzer, Gold und Kupferschläger, Gräpen-
„gesser, Knochenhauer, Bötticher, Seifensieder, Brandwein-
„brenner, Krüger, und dergleichen gefährliche und unleidliche
„Handwerker, mögen in den Häusern nicht angerichtet noch ge-
„über werden, da sie zuvor nicht gewesen, ohne der Nachbaren
„Willen; und sc. „ (b) Quum hic vicinorum modo, in
quo-

(a) MEVIUS ad I. Lub. Art. II. n. 2. plura quae hoc pertinent uid.
supra §. II.

(b) Consensus aequus ac permisso vicinorum, quae secundum hu-
ius Articuli dispositionem attendi debet, plane excluditur in-
tuitu aedificiorum publicorum, quorum die zu Lübeck reu-
ditte

quorum favorem libertas naturalis aedificandi restricta est, fiat mentio, inde quibus facile fatebitur seruitutem legalem priuatam uerba Articuli XII. inuoluere. Ad rationes autem, ob quas haec seruitus legalis priuata constituta est, refero partim periculum ignis, partim incommoditatem ob foetorem uel strepitum, indeque oriens uilius aedium uicinarum pretium. (c) Personae ad statuti auxilium prouocantes, aut prohibentes, sunt ii omnes, quibus est ius reale in aedibus uicinis. (d) Pro uiciniis autem hic haberi uidentur non tantum contigui, collaterales et proximi, sed omnes etiam remotiores et e regione habitantes, quatenus incommodum, quod lege notatum est, ipsis imminet. (e) Neque proximiorum consenus aliter remouet remotiorum dissensum, quam si posteriores tale incommodum uel plane non sentiunt, uel non eo gradu, quem iudex aestimabit. (f) Adquiritur uero ius habendi huiusmodi opificii, si uicini consen-

dirte und verbesserte Gener-Ordnung a 1761. einsque Artic. L §. 1. initit mentionem his uerbis: „Es sollen ssonderlich alle gesäfährliche Handwerke und Nahrungen am Markt, am Rathhaus, und nahe bey den Kirchen, da sie zuvor nicht gewesen, hinzu führo auch mit Bewilligung der Nachbaren nicht angerichtet noch verstaettet werden.“ Vides, libertatem aedificandi in commodum Reipublicae, quantum ad eius securitatem, per hanc dispositionem esse restrictam. Fluat inde, etiam MAGISTRATVI AMPLISSIMO, tanquam salutis publicae curatori, ius dispensandi contra hanc seruitutem Reipublicae debiran competere.

(c) STEIN in der Einführung des Lübischen Rechts lib. III. Tit. XII, §. 228.

(d) IDEM loc. cit. §. 231.

(e) MEVIVS ad Artic. 12. n. 20. 23.

(f) IDEM loc. cit. n. 22.

sentiant: consensus autem hoc in Articulo expressus non requiritur, ideo et tacitus esse potest, ita ut praescriptione annali hoc ius adquiratur. (g) Quod autem ad ius AMPLISSIMI MAGISTRATVS circa consensum uel dissensum uicinorum attinet, puto equidem, ei tanquam optimo legum suarum interpreti competere debere, ut consensum uicini uel pure uel addita quadam restrictione supplere possit; secus autem sentio, si casus feruitatis legalis priuatae adest, i. e. si incommodum lege notatum metuendum, ut secundum Articulum XII. forsan accidere possit. Dissensus autem ab AMPLISSIMO MAGISTRATV ob curam salutis publicae omnino suppleri potest. Ita si a uicino permisum esset, ut quoddam opificium periculosem prope domus suas exerceretur, MAGISTRATVI tamen parendum erit, si ex iustis causis hoc opificium inhibeat.

Ipsa uero opicia hac lege notata sunt
uel periculosa, quo pertinent Brauer, Edpfer, Sehmhäuser,
Grapengießer, Brantweinbrenner;

uel incommoda

ob foetorem, quo pertinent Fischweicher, Tällig-
schmelzer, Knochenhauer, Seifensieder;

ob strepitum, quo pertinent Böttcher, Krüger;
uel mixta, in quibus duae uel plures qualitates prohibitae occurunt, quo pertinent Schmiede, ubi adest periculum ignis et incommoditas strepitus, immo penes eum, quem dicere solemus Hufschmied simul adest incommoditas foetoris, Gold- und Kupfer-schläger, ubi adest periculum et incommoditas ob strepitum.

(g) IDEM ad Artic. 12. n. 33. STEIN §. 231.

Sed

Sed non raro forum curiamque quaestio exercet, dispositio Articuli XII. restrictuam, an uero extensiua admittat interpretationem? Si uero, quid hac de re forsan sentiam, scire cupis, permittas, ut adhibita quadam determinata distinctione ad obuiam quaestionem respondeam.

I. Si quaeris, an Articulus XII. ad plura et ad alia opificia quam ad ea, quorum in eo nominetenus mentio fit, applicari possit? Lubens id cum unoquoque uerba legis inspiciente affirmo ob uerba: und dergleichen gefährliche und unteidliche Handwerke.

II. Si uero quaeris, an totus Articulus extensiue sit interpretandus? negari id debere credo quia lex singularis est, libertatem naturalem restringens. Ea enim circa primam quaestionem dicta applicatio non est extensio legis, sed potius applicatio ex ipsis legis uerbis expressis desumpta, et si eam forsan interpretationis nomine uocare uelles, non extensiua sed declarativa potius interpretatio esset appellanda. Eadem uero tunc degeneraret in interpretationem extensiua, si uicino indulgeretur ius intercedendi, ne quis prope suas aedes exerceat opificium, quod nec memoretur in Articulo, nec periculum, aut incommodum, aut strepitum aut foetorem coniunctum habeat. Ita, ut rem claram magis exemplo illustrem, legalium uerborum extensio non conueniret cum analogia Articuli, si quis futorem sartoremque, opificia tolerabilia nec periculosa exercentem, abire iuberet. Vrges forsitan, quae alia uis est clausulae in Articulo conspicuae, und dergleichen? sed salua res est. Non enim, ut ego quideam arbitror, mathematicam aequalitatatem exprimit, sed similitudinem tantum: ipsius uero diiudicatio dependet uix ab aliis cuiusquam, ac iudicis, arbitrio, qui iudicia peritorum in arte attendere omnino debet.

K

Caete-



Caeterum tantum abest, ut quodvis opificium ob strepitum,
 auribus alias iniucundum, prohibitioni nostri Articuli subiacere
 credam, quoniam alias et eadem intercessiones metuenda
 esse essent iis, quos uernacula uocamus Schuster, Klempner,
 Drecheler, ut potius Articuli dispositio non alia opifica
 prohibita tangat, atque ea, quae cum periculo, et plane intolerabili
 incommoditate coniuncta esse solent. Quare secundum
 Iuris Patrii tenorem discrimen ingens intercedit inter ea,
 quae vicino sunt plane intolerabilia, et ea, quae ingrata ei
 sunt inlucundaque. Quippe illud tanquam posterioris species,
 dici uix potest, quantam, ne alia urgeam, molestiam nobis
 creet, taediumque in animo excitet. Idem taedium sentiremus,
 ex opificiis, non memoratis quidem in Articulo,
 sed quae periculum intolerabilitasque non dissimilis insequuntur,
 atque ea opifica, quorum Articulus iniecit mentionem.
 In eorum, meo quidem iudicio, censum referendi sunt die Fuh
 höfer, (h) Beckenschläger, (i) Drögmäzer, (k) Haken, (l)
 Weinschenken. (m) Clasli autem, uti non expresse ita nec
 tacite prohibitorum adeoque dissimilium, adscriberem 1) eos,
 quos nominant Tobaks-Preissen Fabricanten. Hoc ut sentiam,
 me mouet in primis, quod Articulus disponat de opificiis,
 non uero de fabrica, ac ob id a diversis ad diversa non ualeat ratiocinatio. Accedit, quod ratio, quae sigulos ad eius generis opifica relegat, e quibus periculum metuendum est, non raro, experientia teste, exulet in fabrica, de qua
 nobis

(h) STEIN §. 228. not. *

(i) IDEM §. 224. not. **

(k) MEVIVS ad I. Lub. loc. cit. Artic. 12. n. 6.

(l) IDEM Artic. 12. num. 10.

(m) IDEM Artic. 12. num. 15.

nobis sermo est. Quippe omnes sciunt, figulos opicia sua, et ea cumprimis, quae Glasirungen audiunt, uix sine ingenti igne exercere posse, quo contra minime opus est in fabricandis fistulis iisque plane perficiendis. Immo, hoc ne fileam, fabricis instituendis flos Reipublicae cuiusdam mirum in modum augeri amplificarique potest, ac propterea, si ratio utilitatis publicae fabricas instituendas suadeat, priuato non licet, intercedere, praesertim si nulla ratione doceri poterit, ius ipsius laedi. Porro huc resero 2) Zuckersieder, 3) Kuchenbecker, (n) 4) Eßigbrauer, 5) Schlüsselschmiede, 6) Rademacher, (o) 7) Herbergierer, (p) aliaque, in quibus periculum et intolerabilitas qua strepitus qua foetoris, cessat. Ergo quum Articulus XII. praecipiat, ut opicia, e quibus aut periculum aut intolerabilitas metuenda, iis in locis, in quibus paullo ante non fuerant, uicinis intercedentibus et refragantibus, ne exerceantur, inde cognosci posse arbitror, nec domus eiusdem domino licere, qui alioquin quoddam ex prohibitorum opificiorum genere exercuit, aliud quoddam sine uicinorum consensu instituere. Rationes quibus adductus id affero, eo redeunt, quod lex generatim prohibeat opicia istius generis recens paranda: deinde quod unumquodque eorum speciali periculo et intolerabilitate sit stipatum. Id ipsum uero nec praxi refragari, testes sunt M E V I V S (q) S T E I N I V S que. (r)

Verba sub finem Articuli XII. polita haec sunt: Und wann gleich die Häuser zuvoren alle diese Gerechtigkeit gehabt,

K 2

wenne

(n) STEIN §. 229. not. **

(o) IDEM loc. cit.

(p) MEVIVS ad Artic. 12. n. 15. 16.

(q) Artic. 12. num. 19.

(r) §. 220. not. *



wenn sie aber in zwanzig Jahren nicht gebrauchet, so ist dieselbige erloschen. Quare solo uicennio ius habendi opificii legitime acquisitum perit. En discrimen Iuris Lubecensis et Romani! Quem enim fugit, seruitutem non utendo amitti inter praesentes per X. inter absentes per XX. annos. (s) Dubio autem caret, litteratis aeque ac aliis uiciniis Lubecae ius esse, uicinos opifices strepiferos expellendi. (t)

§. XXIV.

DE EFFECTV SERVITVTVM LEGALIVM AEDIFI- CIORVM EX IVRE LVBECENSI.

Quoniam vero omne illud, quod leges priuatis indulgent, aliorum aulibus nec tolli nec imminui potest, inde cognitum perspectumque est, fieri non posse, ut is, cui seruitus legalis competit, impediatur in seruitutis exercitio, neque adeo iustum esse, ut quis in re seruiente aliquid faciat aut concedat, quod in praejudicium tendat dominantis. Exstant uero etiam in Patrio Iure remedia, quae competunt aduersus eum, qui contra seruitutem aedificiorum legalem aedificant. Huc uero in primis pertinet noui operis nunciatio Lubecensis, cuius Articulus XV. mentionem iniicit his uerbis: „Wenn der Burgermeister in Worte einen in Bausachen die Ar- „beit verbieten läßt, der ist zu gehorsamen schuldig; thut er dar- „über, soll der Principal in die angekündigte Geld-Strafe ver- „fallen, und die Arbeiter ihres Amtes verlustig seyn; also auch, „wenn derjenige, welcher das Verbot thun läßt, und dazu keine „Ursache

(s) MEVIVS Artic. 12. n. 25. 26. STEIN §. 232.

(t) HENR. LINK de Litteratorum contra uicinos strepiferos aliquos que studia impedientes iure. Altdorff. 1680.

„Ursache gehabt, und also seine Nachbaren vorsehlich Schaden
„zugefügt, soll derselbige gleichergestalt in Strafe genommen wer-
„den, und soll allwege, wenn sie sich unter sich selbst nicht ver-
„tragen wollen oder können, derjenige, welcher das Verbot aus-
„gebracht, in vierzehn Tagen zu klagen, und die Sache auszu-
„führen schuldig seyn.“ Inde patet, Ius Patrium non aliam
agnoscere noui operis nunciationem, ac iudicialem, nec cui-
quam licitum esse, proprio motu propriaque auctoritate man-
dare, ut aut demoliatur nouum opus, aut ab eo perficiendo
abstineat aedificans; id quod olim ius Romanum permittebat. (a)
Is uero, qui eam souet opinionem, aedificium recens exstrui
coeptum uergere in ipsius detrimentum, hoc indicare tenetur
ei CONSULI MAGNIFICO, penes quem est regimen ci-
uitatis: hunc enim totum repraesentare uenerandum s e-
n a t u m, quis est, quem fugiat. Nisi fallor, etiam
sufficit, si requisito Notario testibusque adhibitis (b)
aedificium perficiendum prohibeo, uique priuata me tueri
annitor, si quis me in possessione turbare, eaque priuare
studet: quippe turbatus in possessione tollere omne impedi-
mentum potest. At operis incepti denunciatione c o n s u-
l i R E G E N T I rite peracta, prohibitioneque ab hoc inse-
cuta, aedificans obstrictus tenetur, qui obediatur. Demolitio
quidem realis non illico suscipi debet ex Articuli nostri
dispositione, sed eandem demum post causae cognitionem
institui uult idem Ius Patrium, licet caeterum poenam
contumaciae coerceat his uerbis: „Soll der Principal
„in die angekündigte Geld-Strafe versallen.“ Ipsa uero
K 3 poena

(a) l. 5. §. 10. ff. de N. O. N. STEIN §. 244. 246.

(b) IDEM loc. cit.

poena dependet a CONSULIS arbitrio, cuius auxilium laesus implorare debet. Poenas uero, quas operarii inhibitioni Consulari factae non obedientes, subire debent, determinat Articulus uerbis: „Und die Arbeiter ihres Amts ver„lussig seyn, „ i. e. si nunciatum fuerit, et non paruerint opifices, plectuntur amissione iuris collegii. (c) Nec poena deficit, quae in temere et calumniouse nunciantem statuta est. Ea autem locum habet 1) si nunciatur nouum opus sine causa, et 2) si malitiose, et ex proposito fiat uicino damnum „und also seinem Nachbaren vorsehlich Schaden zugefugt. „ Hisce praesentibus requisitis temere nuntians uicinis ex doli capite ad damnum resarcendum et interesse praestandum tenetur, imo a SENATV puniendus est. Tandem in Articulo XV. nuncianti obligatio iniuncta est, ut, si post inhibitio nem consulairem cum altera parte conuenire nequeat, iudicio agat intra XIV. dies, (d) per uerba: „Und soll all „wege, wenn sie sich unter sich selbst nicht vertragen wollen oder „können, derjenige, welcher das Verboth ausgebracht, in 14 „Tagen zu Elagen und die Sache auszuführen schuldig seyn.,, Tempus hoc praefixum nimis breve esse uidetur; at sufficiens est intuitu earum rerum, quae, ut exstructio aedificiorum, moram non patiuntur, quippe quae dijudicari ut plurimum solet oculari inspectione adhibita, quam implorare precibus debemus a MAGISTRATV, rem inspicendam, et referendam ad SENATV Commissariis deferente.

§. XXV.

(c) conf. Ius Lubecense lib. 10. Tit. 13. Artic. 3. uid. quoque STEINIVM ad h. l.

(d) MEVIVS Art. 15. n. 23. 33. STEIN §. 226. not. ***

§. XXV.

DE AMISSIONE SERVITVTVM LEGALIVM, QVAE
IVRE LVBECENSI CIRCA AEDIFICIA
OBTINET.

Antequam dissertationi nostrae finem faciamus, pauca tantum adduxisse e re erit de amissione seruitutum legalium, quae ex Iure Patrio circa aedificia obtinet. Generatim uero obseruasse iuuabit, plerosque modos §. VI. indicatos, quibus reliquae seruitutes secundum ius commune amittuntur, et libertas naturalis recuperatur, ad hasce aedificiorum seruitutes legales applicari non posse: remissionem et praescriptionem speciatim hic resero. Remissionem autem intelligo omnium eorum, quorum interest. Ita in seruitutibus legalibus publicis AMPLISSIMI MAGISTRATVS, in priuatis uicinorum, in mixtis utriusque desideratur relaxatio. Ea autem remissio potest esse expressa, et potest esse tacita, factis concludentibus constans, nisi lex nominativum requirat expressum remittentis consensum, ut in exemplo in Articulo XI. adducto. (a) Is nempe Articulus libertatem naturalem ita restringit, ut quis aedificare non possit neue gemeine Badstuben noch Backhäuser ohne ausdrückliche Bewilligung des Raths und der Nachbaren. Praescriptione (b) tandem Lubecensi haec quoque seruitutes lega-

(a) vid. supra §. XI. et XXIII.

(b) MEVIVS Artic. 8. num. 9 18. STEIN §. 234. J. G. HE-
NECCIVS in dissert. de praescriptione annali Inris Lubecen-
sis. Halae 1734. G. W. L. BENEKE de praescriptione Ger-
manorum annali. Giessae 1740.

legales amittuntur, h. e. libertas naturalis recuperatur, in cuius probationem adducere iuuat Articulum XII. Sed manus de tabula! Sciat autem lector benevolus, me hanc dissertationem scribentem id tantum annisum esse, ut quae de seruitute aedificiorum legali ex Iuris Lubecensis mente sparsum inuenta delibassem, disputationis forma propone-rem, mellificantium apum more flores circumuolitans et meliorem succum extrahens. Si quae minus recte uel disposita uel dicta fuerint, a beneuelo lectore tam certam mihi pollicetur ueniam, quam prouum et facile homini- bus est errare.

T A N T V M .



P R A E-

PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
AVGVSTO IOHANNI OTTONI MENSCHING

S. P. D.

D. IOHANNES IACOBVS HOEFLER
ORDINIS ICOTORVM H. T. PRODECANVS.

*Quum censente Q. MUCIO in l. 2. §. 43. D. de orig. iur.
turpe sit patricio, et nobili, et cauſſas oranti, ius, in qua
uersaretur, ignorare: illos profecto, qui leges earumque ratio-
nes, ante quam in forum uenient, accurate ſcrutantur, non
ſibi tantum, ſed futuris etiam conſulentibus, optime proſpi-
ere certum eſt. Nec ab hoc ſtudendi modo te adhuc fuſſe alie-
num, PRAENOBILISSIME ATQVE CONSULTISSIME
DOMINE CANDIDATE, praeclare laudabiliterque teſtatum
facis diſſertatione TVA inauguraſi, quam haud ita pridem mihi
pro muneris atque officii mei ratione exhibuiſti inſpiciendo.
Hanc igitur perlegi, uidique egregiam operam, qua iura ſeruitu-*

L tum,

tum tum communibus tum maxime patriis legibus illustrata dedisti. Perlegi, inquam, uidique, nihil uero mutaui, nihil adieci. Nam falcem in alienam messem mittere nolebam, neque animum poteram inducere, ut docto T V O labori seruitutem imponerem. Seis enim me libertatis esse studiofissimum. Hoc pacto autem fiet, ut ea, quae T V A sunt, maneat semper T V A semperque libera. Restat modo, AMICISSIME MENSCHINGI, ut TIBI summorum in utroque iure honorum optime meritorum gratulationem faciam. E T V A confuetudine, qua adhuc frequenter uisus sum, quaque mili et morum suavitatem et discendi cupiditatem eximiam mirifice approbavi, tuto coniicere licet, fore, ut in rei publicae et litterariae commodum atque incrementum praestantissimi iuris consulti partes impelas. Qua de causa et TIBI et INCLVTAE REIPUBLICAE LVEBECensi et CONSPICVAE GENTI TVAE ex animo congratulor. Magde igitur summis honoribus Academias, auspicatissimum aggredere iter, quod paras ad exteras prouincias, resaluta maxima cum incolumentate dulcissimam patriam, uiue sooper uitam longatuan, eoque amore, quo me praesens hucusque complexus es, et absens me continuo prosequere. Dabam in Academia Julia Carolina xii. Calend. Septembr. CIOIOCCCLXIII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMO
DOM. MENSCHINGIO

S. P. D.

ALBERTVS PHILIPPVS FRICKIVS

IVR. PROF. ORD.

Qui academias adeunt, illi, meo quidem iudicio, ueluti ad mercatum quendam se confirre uidentur. Alii bene instructi ac locupletes inde redeunt: aliis alias potius quam paeclaras merces ibi comparant, querimoniaque dein mutare coguntur, quod hyste omnes ad necessarios laresque patrios reuerti debeat. Iam hos rei fideique se fuisse naufragium, tristes sequa ipsis incusantes conqueri, audis: iam uero illos, ad quaestiones ex iure propofitas haefstare infelices, conspici, qui in academiis sequioris sexus auram ambientes modo

Omne locant studium, quo belle incedere possunt;

Brachia, crura, pedes, os, caput, arte mouent.

Qua in classe quisque paulo post sit futurus, seruentibus adhuc mundis, deprehendere solent prudentiores. Num enim caute quis mercari discat, foroque seruat, an uero a mangonibus et nūgigerulis se decipi patiatur, ii illico sciunt, qui sepint. Nec difficile est præfigium, rem ad rem reditaram, si, ubi quis uidit academiam, tres annos in auditoriis modo ut lapis lapidi infedit, ac dein, licet caeterum plus uini, quam olei consunserit, et comissationibus, alea, otio, ludis trudicularibus maximum triennii academicæ partem contriverit, absoluat studia, quem prudenter quisque no summa quidem ignorantiae suspicione absoluit. At quorūsum haec disputo, CONSULTISSIME DOCTORANDE? quorūsum? nisi, ut ne quis angurium de TE menum fallax, temerariumque existimet. Etenim ex quo, Muis Goettingensis relibit, ad nostram Iulio-Carolinam, tanquam ad bonae mentis artiumque mercatum, TE contulisti, ita semper compoſuisti rationes, ut non sperare solum, sed etiam confidere possent omnes, futurum esse, qui inde olim abeas non inanis, sed omnis prudentiae theſauris locupletior. Tantum namque ab erat, et in labice innutatis uia labens TE otio dederes, aut inanibus magis, ut potius summa cum industria emetireris universae iurisprudentiae campum et amoena uireta, uirisque, quos academia nostra ueneratur, puta B. MENCKENIO, HAEBERLINO, EISENHARD-

TIO, HOEFLERO, TRENDENELENBURGIO olim nostri, et
iuxta hos etiam mihi, sive Iurisprudentiam Struianam, sive priuatis-
mis praelectionibus Diggsta, sive ius beneficiarum consuetudinesque sen-
tiales illustranti, iudicatissimis haereres comes, nec quicquam reliqui face-
ret, quam ut quisque uideret, TE de palma contendere cum diligentissi-
mio queris, instumque ingenii TVI ardorem in laudis mediocritate con-
sistere nolle, sed praeclaro auctu ad summum artis nostrae fastigium
acriter contendere. Itaque non impetu quodam, sed certa animi indu-
ctione in publicum nunc prodis, TVAE doctrinæ uim in conspectu PA-
TRVM ciuiumque academicorum demonstraturus. Confendens fugi-
gestum defendes disputationem exasitare elaboratam, laudem doctrinæ
TVAE debitam et instam, fructumque industriae TVAE uberrimum
colliges. Summa hinc uoluptate TIBI gratulor hoc egregium TVAE
Scientiae specimen, redundaturam inde laudem, imo et obtinendam do-
ctoris dignitatem, quae non TE, sed quam postius TV, AMICE O-
PTIME, ornabis. Nil magis caeterum opto et cupio, quam ut Divini-
num Numen TE seruet, et ut TIBI, itinere suscepso, ad altiora praepa-
rato omnia ex animi sententia et ex merito eueniant. Vale, CARIS-
SIME MENSCHING, meque TVI amantem, quod facis, ama. Scrib.
Helmst. ipsiſ Kalend. Aug. CIC CCLXIII.

CONSULTISSIMO ATQUE DIGNISSIMO
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO

S. P. D.
CAROLVS FRIDERICVS PAELIKE
I. V. D. SOCIET. TEVT. DVC. MEMER. HONOR.

Insigniter laetus sum, CANDIDATE CONSULTISSIME, id-
que iam maximo gaudio recordor, quum TE in Patria suauissima
non Commilitonem tantum, uerum etiam amicum expertus sum; eun-
demque amicissimum TVVM in me animum TE mihi, ex quo tempore hac
in celeberrima Academia uersatus es, denuo largitum esse, ex uariis a-
moris documentis perspexi: ad quae hoc omnino perinet, quid mihi
munus opponens in pugna eruditissima TVA, qua pro summis in utroque
Iure honoribus certabis, demandaueris. Maxime haec dare
TVAque felicitate gaudeo, uereque Cognatis TVIS Splendidissimis, Pa-
triae-

triaeque carissimae, gratulor Cognatum Cinemque optimae spei. Gratulor TIBI eruditam dissertationem, certissimum diligentiae TVAE documentum, quam hac occasione multa opera bene confecisti. Relinques testimonium diligentiae tam in elaboratione dissertationis, quam in eius defensione, ex qua, quis sis, et qualis sis, omnes cognoscant luculentissime. Gratulor TIBI ex animo, CANDIDATE DIGNISSIME, de summis in utroque iure honoribus propediem conferendis. Sit TIBI faustus hic dies: Sint TIBI felices honores isti, accedantque illis proxime ubiores virtutis TVAE fructus. Faxit summum praeponens Numen, ut singularis TVA eruditio uberrimo fructu sepe olim in Patriae commodum, et Iurisprudentiae incrementum, diffundat. Seruet te in itinere, quod meditaris, saluum, et a periculis circumstantibus immunem. TV aero, mei minquam sis immunior. Vale, vir AMICISSIME, mihique fave. Dabam Helmstadii ad d. XXVIII M. Iulii A. R. S. MDCLXIII.

**VIRO CONSULTISSIMO PRAENOBILISSIMO
AVGVSTO IOHANNI OTTONI MENSCHING
SVMMORVM IN IVRE HONORVM CANDIDATO**

S. F. D.

SIGISMUNDVS CHRISTOPHORVS HARTTMANN

IVVAV. L.L. C.

Opponens.

Nihil TIBI, AMICE OPTIME! contingit, ex quo, si laetum fuerit, non magnam capiam voluptatem. Ne mireris itaque, cumulari me gaudio prorsus singulari, quam te summos in iure honores consequi video. Hoc si fortuna quadam accideret, gratularer felicitati TVAE, at contingit merito atque magnitudine ingenii. Caeterum profacta mihi post tot dulcia inter nos, remotis non raro arbitris, colloquia publice etiam tecum differendi facultate gratus TIBI sum, ac qui gratissimus. Non possum tamen non confiteri, metuere me, ne expectationi TVAE, uti par est, haud satisfaciam. Si enim is solet praecipius esse disputationum academicarum finis, ut medianibus aduersariorum argumentis, et ex factis a laureae doctoralis candidato eorum enodatis, singuli, qui sua absum disputationum ornant praesentia, experi-

entur, quanta respondentibus in suo scientiarum genere sit ueritatis cognitio; me opponentes et TVAM et eorum spem frustrari necessum erit. Ingenue itaque fateri praefat, non TVAS explorandi uires ingenii, sed infusi tvo parendi animo me opponentis numeru perfunditurum esse. Accedit, quod sic quoque ea TIBI reddere ualeam officia, quae mihi, quum sub Consultissimi D. FRICKII, praceptoris, fautoris atque cognati mei sumnum colendi, praesidio disputarem, successu multo feliciori praefliteras. Iam etiam, quanta mihi TVA sit omicitia, brevibus uerbis explicare licet. A primo equidem momento, quo TE cernere, tecumque uersari licuit, TE adeo amare coepi, ut hunc nihil unquam in amore ardentius fuisse crediderim: imo dubitati, an ei amori, quem erga TE ianuam habebam, posset aliquid accedere: at tantum accedit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Quantamcumque uero in hoc amore modo sentio, semperque respirabo voluptatem, non leui tamen officior dolore, quum dira quedam fati nostri sententia carum hunc TVI adspectum, atque gratissimum confortium TVVM, proh! ad omnem forsitan tempus surripiat. Quod reliquum mihi deinceps erit solarium nisi ut credam me abs TE amari, teque ipse amem. Illud a TE AMICE OPTIME flagito, hoc uero sub data nobis pridem ad manum fide iterum iterumque spondeo. Vale. Dabam Helmst. Cal. Aug. A. CICIOCLXIII.

VIRO

PRAENOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO
AVGVSTO IOANNI OTTONI MENSCHING

SVMMORVM IN VTROQUE IVRE HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

ADOLPHVS HEINRICVS FRIDERICVS GOTTLIEB A VVITTORFF
LVNEBURGENSIS
Opponens.

Cum nihil mihi unquam antiquius fuerit, quam ut tum a TE ipso, tum a ceteris omnibus amantissimus TVI cognoscerer; non possum, quin solum hoc die, publicum TIBI exhibeám documentum.

Iam in eo es, CANDIDATE ORNATISSIME, ut tot praeclare confessorum, quos in perserutandis nostrac scientiae adytis collocaſti, laborum praemia referas, lauream doctoralem, quam TIBI amplissimus ICtorum ordo decreuit conferendam.

Ego

Ego vero in arenam bōdī ab̄ TE humaniter prouocatus, et si quid ualeant humeri, quid ferre recusēti, bene norim, tamen eo libentius facio, quo maiori cum uoluptate, TE AMICE longe AESTVMATISSIME, uīt̄orem video, et quo solertiū arripere occasionem sōlo, quo sim erga TE affectu animo, TIBI testificandi.

Gratulor TIBI summos honores op̄timo iure meritos. Gratulor inclitae REIPUBLICAE, quae ciuem de re literaria optime meritum excipiet TE. Gratulor conspicuae genti, cuius TV decus atque deliciae. Gratulor denique et mihi, cui solidioris TVAE eruditioñis specimen uidere et experiri contigit.

Aegre abs TE tuoque, AMICE SVAVISSIME, amplexu diuellor. *Bu-*
rum - - . Abi felix, felicior reuertaris, felicissimus ad patrios rever-
sus lares conatum TVORVM percipias fructus uberrimos. Vale. Da-
bam Helmstadii III. Cal. Sextil. GIO IO CC LXII.

PRAENOBISSIMO CONSULTISSIMO DOCTISSIMO I. V. CANDIDATO
AVGVSTO IOHANNI OTTONI MENSCHING
AMICO INTEGERRIMO

S. P. D.

AD DE BERNHARDVS BVRGHARDI, Lubecensis
Opponens.

Quo magis praeter spem accidit, eo gratius mihi est, quod munus Oppo-
nenitis mibi impous, et me prouocar, ut contra Dissertationem TVAM
docte egregie elaboratam tecum publice dispuitem. Gratias T.BI ago
pro translatō hoc in me munere, et pro nouo hoc amoris erga me specimine,
amicitiaeque TVAE integerrimae documento. Profitear sane necesse
est, me per omne tempus, quo bac in Academia tecum uixi, et familiaritate
TVA frutus sum, non suauitatem solum, sed et utilitatem non ex-
xiugam ex illa percepisse. TE colui semper, AMICE DILECTISSIME,
et adhuc colo, ob humanitatem TVAM, ob integritatem, ob fidem in amici-
tia. TE dilexi ob singularem et eximiam TVAM eruditioñem, ob ingenii
TVI dotes, et ut paucis dicam, ea semper in TE inueni, quae unquam ab
amico exspectare licet. At non excurram in laudes TVAS bene meri-
tas, gratulor TIBI potius dignitatem instantem, omnibus uotis exoptans,
ut sempiternae laudi TIBI sit iste honor. Ceterum DEVST. O. M. conser-
uet TE per longam annorum seriem, iubeat TE integerrima ualeitudine
frui, perfundat TVAM uitam gaudio et uoluptate, ut TIBI laetitia, or-
namento familie TVAE splendidissimae, Reipublicae nostrae diu et adiu-
mento et iusta esse possit. Ego vero nihil magis a TE peto, AMICE SVA-
VISSIME, quam ut in posterum codem amore me amplectaris, quo bucus
que solitus es. Vale igitur, et me ad omnia TVA promptum paratumque
fore

sore, semper persuasum TIBI habe. Vale, mihi que faue. Dabam
Helmstadii die xv. Augusti MDCCCLXIII.



V I R O

PRAE N O B I L I S S I M O A T Q V E D O C T I S S I M O
A V G V S T O I O H A N N I O T T O N I M E N S C H I N G

S U M M O R V M I N V T R O Q V E I V R E H O N O R V M

C A N D I D A T O D I G N I S S I M O

A M I C O S V O C A R I S S I M O

S . P . D .

H E R M A N N V S A D V H N , L u b e c e n s i s
Opponens.

Quem iam a prima pueritia tecum uersatus sum, atque de sincera
TVA amicitia erga me maxima specimina habeam, et inter haec
in primis referenda sint ea, quibus in Academia hac florentissima conver-
satione TVA grata fructus sum, non possum, quin ista occasione laetissima
gratum meum animum TIBI publice declarem. Nam ut alia tacem,
quibus amore TVVM erga me satis declarasti, et quae iucundissima mi-
bi semper fuere in TVA consuetudine; ut nihil dicam de uitiae TVAE
morumque integritate, et ingenio acumine, et eruditio ne et ardore in a-
miticia non fuscato, quibus omnibus me TIBI maxime obligasti, et incita-
sti ad murum amorem; num etiam gratissimum mibi est, quod me quam
humanissime inuitasti, ut TIBI theses TVAS publice defensuro pauca
obicerem! Quod quidem officium per se honorificum, eo libentius ego
fusco, quod et noua eruditio TVAE specimina elucescent, et tempus
infat, quo TV ad summam Doctoris dignitatem eucheris, dignum praec-
mium diligentiae TVAE, uitaeque bene et prudenter actae. Quem qui-
dem honorem ex animo TIBI gratulor, optoque ut omnia TIBI ex uo-
to succedant, promoueanturque per TE commoda atque emolumenta Pa-
triae, quam profecto et doctrinae TVAE singularis et reliquarum animi
dotum non penitebit. Ceterum et in posterum conserues mibi anorem
TVVM atque amicitiam, quae ut nullo casu dissoluatur, etiam atque etiam
expto. Dabam Helmstadii d. XII. Aug. MDCCCLXIII.



ULB Halle
003 742 423


3



f

TA → OL

nur Tit 3 Stück verknüpft



DISSESSATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
SERVITVTIBVS IN GENERE
ET SPECIATIM
DE
SERVITVTE
AEDIFICIORVM LEGALI
IVRIS LVBECENSIS

QVAM
IN INCLVTA ACADEMIA IULIA CAROLINA
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS
AD DIEM XXVI. AVG. MDCCCLXIII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
IN IVLEO MAIORI
PVBLICE DEFENDET
AVGVSTVS IOHANNES OTTO MENSCHING
LVBECENSIS
HELM STAD II
EXCVDEBAT MICHAEL GÜNTHER LEVKART.

